UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Joannis Friderici Karg de Bebenburg Serenissimorvm DD. Fratrvm Principum Electorum Colon. & Bavar. Ducum &c. ... Dissertationes Theologicæ, Nomo-Canonicæ, Historicæ, & Politicæ Ad Constitutionem ...

Karg von Bebenburg, Johann Friedrich

Coloniæ Agrippinæ, 1690

urn:nbn:de:hbz:466:1-38308

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 4805.
M. 1
E. 4

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# JOANNIS FRIDERICI KARG de Bebenburg

*SERENISSIMORUM DD. FRATRUM Principum Electorum Colon. & Bavar. Ducum &c. reſpectivè Plenipotentiarii, Ablegati extraordinarii, Conſiliarii Status, & inſignis Eccleſiæ Monacenſis B M V. Decani &c.*

# DISSERTATIONES THEOLOGICÆ, NOMO-Canonicæ, Hiſtoricæ, & Politicæ AD CONSTITUTIONEM GREGORIANAM DE Im̃unitate locali Eccleſiarum, *ſeu de* Jure ſacri Aſyli.

* * * *
* * *
* * *
*

dono p. Kloppenburg SJ.

*COLONIÆ AGRIPPINÆ,*
Apud PETRUM ALSTORFF,
Anno M. DC. XC.
*Permiſſu Superiorum.*

Collegii Societatis JESU Paderbornae 1697.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELENCHUS DISSERTA-
tionum.

Diſſ. I. *De Conditore , & cauſa hujus Bullæ : & ſpeciatim de ſtylo Curiæ Romanæ*, fol. 16.

Diſſ. II. *De origine , & uſu generali Iuris Aſylorum : ac ultione Divina contra Immun. Eccl. violatores.* f. 76.

Diſſ. III. *De triplici effectu ſacræ Immunit. local.* fol. 167.

Diſſ. IV. *De locis gaudentibus Eccleſ. Immunit.* fol. 224.

Diſſ. V. *De perſonis fruentib. Immunit. locali*, fol. 323.

Diſſ. VI. *De criminibus exceptis.* f. 344.

Diſſ. VII. *De forma extrahendi delinquentes exceptos , & pœnis Contraventorum.* fol. 371.

Appendix *De Aſylo Philoſophorum.* fol. 396.

SERE-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



SERENISSIMO ET REVE-
rendiſsimo Principi ac Domino,

# D. JOSEPHO CLEMENTI,

## ARCHIEPISCO-PO COLONIENSI,

S. R. I. ELECTORI, ET PER ITALIAM ARCHI-Cancellario, S. Sedis Apoſtolicæ Legato nato, Epiſcopo Friſingenſi & Ratisbonenſi, Adminiſtratori Berchteſgadenſi, utriuſque Bavariæ, Superioris Palatinatûs, Weſtphaliæ, & Angariæ Duci, Landgravio Leuchtenbergenſi &c. Principi ac Domino Clementiſsimo.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERENISSIME ET REVE-
rendiſſime Princeps Elector,
Domine Clementiſſime.

REm difficilem aggreditur Author, Serenitatis Veſtræ Electoralis Plenipotentiarius, dum ſalebroſam Sacræ Immunitatis localis materiam, ævo hoc critico (quo ſanè magis, quàm aliàs unquam, juxta Philotam, & cùm indicamus, inviſi; & cùm tacemus, ſuſpecti ſumus) Theologicè, Nomo-Canonicè, Hiſtoricè, atque Politicè tractandam aſſumit: in qua, pertinaci ſubinde ſtudio Partium, pro ſuo quique impetu, mutuos fines hinc indè invadunt: quibus regundis quis par eſſe valeat, niſi qui, Principum Eccleſiaſticorum æquè, ac ſecularium judiciô, neutri parti ſuſpectus, imò utrique pro-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*probatus ſit, quique nihil arbitrio ſuo aſſerat; ſed digito ad veritatis fontes à ſemetipſo delibatos intento, procul omni fuco, turpi conniventiâ, ſimulatione, animoſitate, aut furore circenſi, materiam præſentem à prima origine repetat, narratoque fideliter eius uſu, rationibus Theologicis, atque authoritati Canonum ac Legum, exempla tum nova, tum vetera, ad hiſtoriæ ſincerioris amuſſim perpenſa, conjungens, ex irrefragabilibus hiſce regulis in unum contractis, iudicium exactum efformet, ſinè quarum notitia multi ſæpe, acuto licèt ingenio præditi, pro ſolida veritate, coniecturas futiles, argutias, & ſomnia mera depromunt. Quantum verò in diſſertationibus hiſce, inclyto Serenitatis veſtræ Electoralis Nomini humillimè inſcriptis, præſtiterit Author, liquebit ex ipſa rerum ab eo tractata-*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum ſerie attentè decurſa: in qua non mirum inveniri æquitatem, pacem, & utriuſque iuriſdictionis non rarò ſe collidentis limitem certum in confinio utriuſque defixum, ſi de Authore prænoſcimus, quòd, poſt exercitum duobus penè luſtris Bambergæ publicum arcanioris Miniſtri munus apud celeberrimæ memoriæ Principem D. PETRUM PHILIPPUM Epiſcopum Bambergenſ. & Herbipolenſem, ad ſecularis deinde Principis, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris D. MAXIMILIANI EMMANUELIS utriuſque Bavariæ Ducis &c. Miniſterium pari candore ac fide tranſierit, iteratiſque Legationibus Romæ, Viennæ, & in pluribus Electorum, ac Principum Imperii aulis ſæpenumerò functus, & ab ipſomet Auguſtiſſimo Imperatore noſtro graviſſimis negotiis cum fel. record. INNO-

CEN-

CENTIO XI. & Curia Romana per biennium in Vrbe tractandis adhibitus, rebus ibi non infeliciter geſtis, noviſſimè in Electione Serenitatis Veſtræ Electoralis in Archiepiſcopum Colonienſ. & S.R.I. Electorē, diſploſis adverſariorū ſtrophis, ſinè dolo, ſinè vi, ſinè minis, ſinè muneribus, ſinè promiſſis, ſpem ferè omnium ſuperârit, ac nihil ſibi difficile demonſtrârit, in hac præcipuè, & alia quavis materia Canonica, cujus uberiorem notitiam ſibi, poſt abſolutum Romæ, Pariſiis, Pragæ, Bambergæ, SS. Theologiæ, utriuſque Iuris, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſtudium, ex diuturna plurium annorum praxi comparavit, ſicque ſe Romæ, Viennæ, Monachii, Bambergæ, Herbipoli, geſſit, ut laicæ non minùs, quàm Eccleſiaſticæ poteſtati gratus extiterit, quin ullibi tamen ſubierit notam ignavi. Quod cùm in hoc opere pariter præſtet

*abunde, ac utramque Iuriſdictionem mirâ comitate conciliet: patietur Electoralis Serenitas Veſtra, cui accini meritò poteſt illud olim à Chalcedonenſi Synodo act. 6. acclamatum Marciano Auguſto : τῷ ἱερεῖ, τῷ βασιλεῖ ! ut ad Aram clementiæ Serenitatis Veſtræ (inter ſolennes applauſus de obtenta ſecuritate communi, poſt recuperatam feliciter hodie Bonnam, hoſteſque ex univerſo Serenitatis Veſtræ Electoratu tandem ejectos) adgeniculabundus has* de Jure Sacri Aſyli *Diſſertationes, publicæ quietis fotrices, humillimè ſuſpendam, meque æternum profitear*

Serenitatis Veſtræ Electoralis

*Coloniæ Agrippinæ, die 12. Octobris 1689.*

*Humill. & devotiſſ. ſervum*
PETRUM ALSTORFF.


UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## APPROBATIONES.

CAnonica hæc exegeſis Conſtitutionis Gregorianæ Excellentiſſimi ſui Autoris D. JOANNIS FRIDERICI KARG de Bebenburg excellentiam ſic prædicat, & omnigenæ ſimul ejus ſcientiæ ac eruditionis in aſſerendo, tutandoque Chriſtianorum Aſylo tale dat ſpecimen, ut jure Commentariis quibuſcunque aliis de hoc argumento ſcriptis ſi non anteponi, ſaltem nulli poſtponi queat. Ita lectis & perpenſis accuratè omnibus & ſingulis, quæ in ea aſſeruntur cenſeo. Coloniæ Agrippinæ 5. Octobr. 1689.

*Henricus Cuperus Societ. Ieſu SS. Theol. Doctor & Profeſſor publicus. M. P.*

---

EXcellentisſimi D. JOANNIS FRIDERICI KARG de Bebenburg diſſertationes ad Conſtitutionem Gregorianam de immunitate locali Eccleſiarum legi: Cùmque in iis nihil ſit, quod fidei Catholicæ aut bonis moribus repugnet, & doctrinam præterea contineant raram, variam, omnibus perquam utilem, multis neceſſariam, cenſeo eas non eſſe intra privati muſæi parietes abſcondendas, ſed typo publicandas; ut lucerna in materia alioquin ſatis obſcura

tam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tam præclarè lucens non ſub modio ponatur, ſed ſupra candelabrum, ut omnibus lucere & prælucere poſſit. Coloniæ 5. Octobr. 1689.

*Petrus Hervvartz Societatis Ieſu SS. Theol. Doctor & Profeſſor in Univerſitate Colonienſi.*

---

*Cenſura Ordinarii.*

Diſſertationes Theologicæ Nomo Canonicæ, Hiſtoricæ & Politicæ de jure ſacri Aſyli ab Excellentiſſimo & Reverendiſſimo D. JOANNE FRIDERICO KARG de Bebenburg, &c. Inter immenſas curas diſertè, inter continuos pro bono communi labores laborioſè doctèque elaboratæ, & à S. Theol. Doctoribus lectæ, & approbatæ, tanto magis merentur typum & lucem publicam, quo expeditiùs & excellentiùs ab Excellentiſſimo Authore Gregoriana de immunitate locali Eccleſiarum Conſtitutio eſt enodata & dilucidata, hinc typis & & luce dignisſimas cenſebam. Coloniæ Agrippinæ hac 9. Octobr. 1689.

*Chriſtianus Nevvendal Elſius. SS. Theol. Doctor, Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Decanus, Gymnaſii Montani Regens Librorum cenſor. M.P.*

FELIX



# FELIX OMEN
## pro Confugis
## ex
## Inſignibus Authoris.

T*urribus* è geminis, *Geniique* volantibus *alis*
Deſuper expanſis omina tuta traho.

Vim

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vim *Turres* arcent; *Geniuſque* ex æthere certam
Spondet opem: ſtant hinc viſque, minæque procul:
*Confuga*, quem ſervant *Turres*, felicibus *alis*
Dummodo virtutum culmina celſa petat.

*Bamb. 30. Septemb. 1689.*
H. C. K.

---

*AD EXCELLENTISSIMUM*
D. PLENIPOTENTIARIUM.

NE te decipiant cæcæ ludibria ſortis,
*Sors* tua peplum oculis reſpuit omne ſuis.
Securum pariter *Turris* dat bina receptum,
Suſtinet immoto quam petra firma pede.
Dum Patre deſtituor: ſit in hac mihi tutius *Arce*
Perfugium, & *Genius* me regat ille tuus!

*Io. Frider. Deckler ex ſorore Nepos.*

CON-

# CONSTITUTIO GREGORII XIV. DE

## *Immunitate locali Eccleſiarum, quibuſdam exceptis caſibus, inviolabiliter obſervanda.*

1. B. *Pius V. & Sixtus V. certis caſibus permiſerunt extrahi ex Eccleſiis homines criminoſos.*
2. *Unde per abuſum Miniſtrorum ſæcularium gravia mala provenerunt.*
3. *Gregorius XIV. hujuſmodi facultates revocat & immunitatem localem Eccleſiarum obſervari præcipit.*
4. *Certos tamen caſus excipit, in quibus laici delinquentes Curiæ ſæculari requirenti debent remitti.*
5. *Prohibetur, ne Curia ſæcularis, abſque licentia Iudicis Eccleſiaſtici, ullo pacto quoſquã extrahat & abducat.*
6. *Ante extractionem videndum ab Eccleſiaſtico, an carceratus aliquod ex criminibus exceptis commiſerit.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

7. *Criminis hæreſis cognitio tota ad forum Eccleſiaſticum pertinet.*

8. *Et omnium perſonarum Regularium in omnibus caſibus.*

9. *Contravenientes in pœnas hic enarratas incidunt.*

10. *Clauſula ſublatâ &c. & clauſulæ derogatoriæ.*

11. *Demandatur publicatio hujus Conſtitutionis adjectâ ſanctione pœnali.*

12. *Dat. P. An. 1. die 24. Maii 1591.*

*Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

1. CUm aliàs nonnulli prædeceſſores & præſertim fel. record. Sixtus Papa Quintus, nec non Pius etiam Quintus, ſancto zelo ducti diverſas facultates & indulta extrahendi, etiam in caſibus quibuſdam à jure non permiſſis, ex Eccleſiis criminoſos & delinquentes, compluribus ſæcularibus Principibus, eorumque Curiis & Magiſtratibus, ſub variis

modis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

modis & formis, conceſſerint, prout in illis pleniùs continetur.

2. Experientia poſtmodum docuit, tum ob diverſitatem & differentiam hujuſmodi Indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Miniſtri ex hoc ipſo illa diverſimodè, etiam latiùs quàm par erat, & ad ſuum libitum interpretandi occaſionem arripuerunt, illiſque abuti cœperunt, ſubortam eſſe non mediocrem, in aliquibus locis, libertatis & immunitatis Eccleſiaſticæ perturbationem & confuſionem: alibi verò ne ipſos quidem laicos Indultis hujuſmodi uti voluiſſe, aut potuiſſe, quòd populis, inveteratâ erga Eccleſias reverentiâ, devotis & aſſuetis, ſcandali potiùs, quàm quietis occaſionem præberent. Illud etiam abſurdum ſæpenumerò ſecutum eſt, ut infimæ interdum conditionis laici non modò juris, ſed etiam litterarum penitus ignari & imperiti, dum quaſi poteſtates aut Miniſtri Curiæ ſæcularis in aliquo Caſtro aut Oppidulo juriſdictionem exerce-

bant, facultatum & indultorum hujuſmodi limites longè exceſſerint, eaque ſuo arbitratu in ſenſus minùs rectos & ab intentione concedentis omninò alienos detorſerint, & illorum prætextu, quicquid ſibi in mentem venit, attentare præſumpſerint, in grave juriſdictionis & immunitatis Eccleſiaſticæ præjudicium, locorum & perſonarum Divino cultui dicatarum contemptum, ipſius Divinæ Majeſtatis offenſam, & ſcandalum plurimorum. Quare pro commiſſo nobis à Domino Paſtoralis officii munere, prædictis abſurdis & ſcandalis obviare, ac differentias hujuſmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi ac perperam interpretandi occaſionem dilucidâ declaratione ſubmovere, abuſus tollere, & ne Eccleſiaſtica jura planè conculcentur & negligantur, opportunè providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus prædeceſſor noſter iiſdem de cauſis motus ſtatuere decreverat, licèt morte præventus hoc adimple-

re

re nequiverit: ita tamen ut, quando præſens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perverſorum hominum malitia id expoſcit, aliquid, etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda illorum facinora ultra id, quod priſca illa Majorum noſtrorum diſciplina, & vetus ſacrorum Canonum norma præſcripſerat, in quibuſdam caſibus congruâ moderatione adhibitâ permittamus.

3. Hâc itaque noſtrâ perpetuò valiturâ Conſtitutione omnia & quæcunque privilegia, indulta, & gratias, tam per prædictum Sixtum ac Pium Quintum, quàm alios quoſcunque noſtros prædeceſſores, aut noſmetipſos, Sedemque Apoſtolicam, ejuſvè Legatos ſuper abducendis vel extrahendis ab Eccleſia, Monaſteriis, Sacellis, domibus regularibus & ſæcularibus, locisvè ſacris aut Religioſis, aliàſque in caſibus à jure permiſſis hominibus certorum tunc expreſſorum criminum reis aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certo-

rum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex cauſis urgentibus, ac neceſſariis, & æquipollentibus caſibus in jure expreſſis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extenſis perpetuò vel ad certum nondum elapſum tempus, ſeu ad vitam alicujus Principis aut beneplacitum, ſeu alias quomodolibet conceſſa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac uſu recepta, litteraſque Apoſtolicas ſub plumbo aut in forma Brevis, ſeu alias quomodocunque deſuper confectas, quarum tenores hîc haberi volumus pro expreſſis ac ad verbum inſertis, ſublatâ penitus omni differentiâ, ita ad unam tantùm formam reducimus & moderamur.

4. Ut laicis ad Eccleſias, locaque ſacra & religioſa prædicta confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata vel publicas ſtratas obſidēt, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quivè homici-

homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumvè cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint, aut Aſſaſſinii, vel hæreſis, aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed univerſis & ſingulis venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatis, tam ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis Regularibus, diſtrictè præcipiendo mandamus & præcipimus, ut laicos in caſibus prædictis delinquentes ad eorum Eccleſias, Monaſteria, domos, & alia loca ſacra ſupradicta ſeu religioſa reſpectivè confugientes, & in eis ſe recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumve aliquod judicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando à Curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, Miniſtris & Officialibus Curiæ ſæcularis abſque irregula-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ritatis nota, aut alicujus cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu, tradi, & conſignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.

5. Ne autem Curiæ ſæcularis prædictæ Miniſtri facultate illos per ſe & propriâ auctoritate extrahendi & abducendi ſibi olim, ut præfertur, attributâ, & per præſentes revocatâ, abutantur, volumus, dictâque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia ſæcularis, ejuſque Judices, & Officiales, ab Eccleſiis, Monaſteriis, locisque ſacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex caſibus ſupradictis, ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos ſolos & non alios Epiſcopis inferiores, etiamſi alii ordinarii ſint, aut nullius Diœceſis, aut conſervatores ab hac Sede ſpecialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat: occurrente autem caſu in loco exem-

pto,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pto, & nullius Diœceſis, tunc ad Epiſcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios: capere, extrahere, aut incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus, & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ illos in delictis ſuperiùs expreſſis culpabiles, tradere, aut capturæ & carcerationi intervenire, & aſſiſtere recuſaverint: tuncque reverentiæ Eccleſiæ & locis ſacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quo id fieri poterit, cum ſcandalo & tumultu, extrahere curent.

*6.* Quodque delinquentes laici prædicti, poſtquam ut præfertur, ab Eccleſiis, lociſve ſacris extracti & capti fuerint, ad carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto & firmo carcere ac opportuna cuſtodi a data illis, ſi opus fuerit, per Curiam ſæcularem, detineri debeant, nec indè extrahi, Curiæque ſæculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu

 ab

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerint: tuncque demum de mandato Epiſcopi per Judicem Eccleſiaſticum Curiæ ſæculari, quâcunque appellatione poſtpoſitâ, conſignentur.

7. De crimine verò hæreſis cognitio ad forum Eccleſiaſticum tota pertineat, neque in ea Curia ſæcularis, ſe quoquo modo intromittat.

8. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Eccleſiaſticas perſonas ſæculares, aut cujuſvis Ordinis, vel militiæ, etiam ſancti Joannis Hieroſolymitani Regulares quoquo modo, etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut conceſſionum, quæ omnia ad terminos Juris per præſentes reducimus, procedant, aut ſe intromittant, illaſve ab Eccleſiis, Monaſteriis, domibus, locisque ſacris, aut religioſis etiam in caſibus in hac Conſtitutione expreſſis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoſcere de criminibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, aliàs

quàm

quam de Jure & per privilegia eiſdem ordinibus, aut militiis conceſſa permittitur quomodolibet præſumant.

9. Quòd ſi quis quâcunque dignitate & auctoritate præditus præmiſſorum, aut alio quovis prætextu, quicquam præter aut contra hujus noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus, eum ipſo facto, cenſuras, & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatum, juris, & immunitatis Eccleſiaſticæ violatores per ſacros Canones & Conciliorum generalium noſtrorumque Prædeceſſorum Conſtitutiones ſunt promulgatæ.

10. Sicque per quoſcunque Judices, ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores & S. R. E Cardinales, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate, in quavis cauſa & inſtantia judicari ac definiri debere, nec non irritum decernimus & inane, ſi ſecùs, ſuper his per quoſcunque quâvis auctoritate,

ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, tam Sixti & Pii V. quàm aliorum quorumcumque Prædeceſſorum noſtrorum litteris Apoſtolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibuſvis perſonis, etiam Imperiali, Regiâ, Ducali, aut alia quâvis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebuspublicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis, eorumve Curiis, Parlamentis, Senatibus, Conſiliis, Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis, aut Præſidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Poteſtatibus, aliiſque Magiſtratibus, Officialibus, Miniſtris, aut Conſiliariis, ex dictis, vel aliis etiam gravioribus & urgentioribus cauſis, tam illorum intuitu, & contemplatione, ſive ad eorum preces & inſtantiam, quàm etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac per modum ſtatuti & legis perpetuæ, etiam in vim

con-

contractus, & de Fratrum noſtrorum conſilio, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, & cum quibuſvis præſervativis, reſtitutivis, mentis atteſtativis, derogatoriarum derogatoriis aliiſque validiſſimis, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiamſi inibi caveatur expreſsè, quòd illis, niſi ſub certis modis & formis, & niſi de expreſſo eorum conſenſu, ad quorum favorem conceſſæ fuerint, derogari poſſit, & aliter factæ derogationes nullius ſint valoris, vel momenti, & aliàs quomodolibet conceſſis, etiam ſæpiùs approbatis, & innovatis. Quæ omnia & ſingula, ac illorum tenores pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, aut plures quàm ſuperiùs expreſſos caſus contineant, auctoritate & tenore præmiſſis, omninò ac perpetuò tollimus & abrogamus, ac ad terminos præſentis Conſtitutionis quoad ſuperiùs deſcripta duntaxat, reducimus, & nolumus cuiquam de cætero

ſuffragari, & quâlibet aliâ dictæ Sedis indulgentiâ generali vel ſpirituali, per quam, præſentibus non expreſſis vel ad verbum non inſertis, effectus earum, quomodolibet valeat impediri.

11. Ut autem præſentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs deducantur, mandamus illas in Valvis S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, Baſilicarum de urbe, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ de more affigi & publicari, earum etiam exemplis inibi affixis & dimiſſis: ac poſt publicationem hujuſmodi volumus & decernimus, ut omnes & ſingulos, quos concernunt & concernent in futurũ, perinde arctent, & afficiant, ac ſi eorũ cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Earundem verò præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, eandem fidem in judicio & extra illud ubique gentium & locorum haberi volumus, quæ eiſdem originalibus litteris haberetur, ſi eſ-

ſent

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, ſublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationẽ Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

*12.* Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, nono Calend. Junii, Pontificatûs noſtri Anno primo.

DIS-

# DISSERTATIO I.

*De Conditore, & cauſa hujus Bullæ: ac ſpeciatim de ſtylo Romæ ſervari ſolito, in expeditione, & publicatione literarum Apoſtolicarum, aliiſque ad eas pertinentibus.*

13. DE *Conditore & cauſa emanationis hujus Bullæ.*

14. *De duplici genere publicarum litterarum Pontificalium, & in ſpecie de Brevibus, eorumque forma, atque de annulo Piſcatoris.*

15. *De Bullis, & Sigillo plumbeo iis appenſo, item à quo tempore introductum fuerit hoc ſigillorum diſcrimen: & quale ſigillum hodie litteris privatis S. Pontificis apprimatur.*

16. *De diverſitate ſtyli ante, ac poſt S. Pontificis coronationem, ſublatoque uſu antiquo utendi Bullâ ſine impreſsione nominis ante coronationem: ubi de ſtatua Vrbani VII. ſupra Minervam.*

17. *Quan-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

17. *Quando & quomodo S. Pontifex in ſcribendo utatur nomine ſuo Baptiſmali; & quando altero poſt electionem aſſumpto: nec non de origine appellationis: Servus Servorum Dei.*

18. *Hodie hæc nuncupationis forma eſt conſtans & peculiaris Papæ Romano.*

19 *In quibus Brevia & Bullæ conveniant: & primo de ſalutatione: item de SS. Pontificum modo ſcribendi Hebræis, Gentilibus, Excommunicatis &c.*

20 *De apprecatione ſalutis, & impertitione Apoſtolicæ benedictionis.*

21 *A quo tempore tranſierit in uſum ſtabilem, ut nomen S. Pontificis nomini alterius, cui ſcribitur, præponatur: & de congruentia hujus ſtyli.*

22. *Quos titulos S. Pontifex in principio Brevium & Bullarum Ipſe ſibi adſcribat.*

23. *Nomen Papæ, & Epiſcopi ſine adjectione propriæ Eccleſiæ abſolutè prola-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*prolatum, inter viventes, hodie ſolis Pontifici competit.*

24. *Diſcrimen tituli Pontificalis, & maledictionis Chanaan.*

25. *De uſu vocis* Domnus: *& quomodo S. Pontifex in litterarum ingreſſu hodie tractetur à Romano Imperatore.*

26. *Declaratio nominum*, Fratrum, *&* Filiorum.

27. *Quoſnam S. Pontifex fratres, aut filios appellet: & à quo tempore nomen filii dederit Imperatori.*

28. *De origine, multiplicitate & efficacia clauſularum derogatoriarum: nec non de vi clauſulæ ſublatâ & decreti irritantis.*

29. *De neceſſitate promulgationis legum Eccleſiaſticarum ſententiæ DD. oppoſitæ, an ad obligandos fideles promulgatio Romæ ſolemniter facta ſufficiat? Conciliatio hujus disſidii.*

31. *Solutio difficultatis, quomodo per novam legem obligari posſint ignorantes.*

32. *De partibus Ordinariorum circa publi-*

publicationem Conſtitutionum generalium promulgatarum in Curia Romana, cum exploſione vanorum prætextuum involventium contemptum formalem.

33. De praxi Principum quorundam ſæcularium præmittentium execucutioni litterarum Apoſtolicarum notitiam quampiam extrajudicialem.

34. De modo interminandi, Conſtitutionum infractoribus, vel aliis, indignationem Divinam.

35. Quomodo extendatur Data litterarum Apoſtolicarum: & de loco publicationis earundem in urbe.

36. De duplici Reſidentia, ſeu habitatione S. Pontificis Romæ, cujus in Datis litterarum mentio hodie fieri ſolet.

37. Annus Incarnationis, Datæ ſubnexus, quomodo computandus: ubi de diverſitate ſtyli Cancellariæ Apoſtolicæ, & Secretariæ Brevium: & quomodo notetur annus Domini in litteris privatis.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

38. *De Anno Pontificatûs : & quòd Papa nec Brevia, nec pleraſque Bullas ſubſcribat.*

39. *An hæc Bulla Gregoriana recepta ſit per Germaniam in territoriis Principum Eccleſiaſticorum?*

40. *Quid in ſtatibus laicorum S. R. I. Principum : ubi de Bulla Urbani VIII.*

13. BUllæ hujus Conditor fuit *Nicolaus Sfondratus* Mediolanenſis, ante Pontificatum Cardin[illegible]s Preſbyter tit S. Cæciliæ, & Epiſcopus Cremonenſis, die V. Decembris A. Chri. 1590. renuntiatus Pontifex, juxtà morem pluribus ſæculis à pleriſque Pontificibus Romanis ſervatum, dimiſſo baptiſmali nomine *Nicolai*, dictus *Gregorius XIV.* coronatus die VIII. ejuſdem Menſis Decembris, integritate, ſanctimoniâ vitæ, Chriſtianâque modeſtiâ clarus, atque in hoc tantùm infelix, quod decimeſtri Pontificatu ſuo cum infirmitatibus propè continuis colluctatus fuerit : quibus non

ob-

obſtantibus, animum ſuccreſcenti in Gallia diſſidio Religionis applicuit; Conſtitutionem B. Pii V. de non alienandis & infeudandis Civitatibus ac locis S.R.E. confirmavit; Cardinalibus ex ordine Regula. aſſumptis uſum bireti rubri conceſſit; formā promovendi ex præſcripto S. Concil. Trid. ad regimina Eccleſiarum Cathedr. aliarumque dignitatum, de quibus Conſiſtorialiter providetur, præſtituit, indulta DD. Cardinalium ſuper collatione certorum beneficiorum expreſsè revocavit: atque, ut de pluribus aliis laudabilibus ejuſdem Sancti Pontificis conſtitutionibus & geſtis ſileam, *Anno 1591. die 24. Maii* celebrem Bullam, quæ incipit: *Cùm aliàs nonnulli*; de locali Eccleſiarum immunitate, quibuſdam duntaxat caſibus exceptis, inviolabiliter obſervanda, hanc ob cauſam edidit, quòd, cùm Sixtus V. & B. Pius V. ſancto zelo ducti, diverſas facultates & indulta extrahendi criminoſos ex Eccleſiis, ſub variis modis & formis conceſſiſſent diver-

diverſis Principibus laicis, eorumque Curiis & Magiſtratibus: plerique eorundem Miniſtri per falſas interpretationes illis abuſi fuerint, cum non modica libertatis Ecclesiaſticæ ac immunitatis localis perturbatione. Cujuſmodi vim ipſe Gregorius Pontifex, adhuc Cremonenſis Epiſcopus, pertuliſſe dicitur, abducto ex ejus cubili ad publicos carceres confugâ, qui ſub ejus lecti Epiſcopalis ſponda latitârat.

14. Deveniendo nunc ad ſtylum litterarum Apoſtolicarum: hæ ſub duplici forma communiter expediri ſolent, aliquæ à Secretario Brevium, qui & eas propriâ manu ſubſcribit, in membranis ſubtilibus & albis, charactere latino ac nitido, illitâ à tergo cerâ rubeâ, circumdatâ filis ſeu chordulis lineis, & ſignatâ annulo Piſcatoris, ita ab inſculpta S. Petri piſcantis imagine dicto, qui per ipſum ſummum Pontificẽ, vel quempiã ex confidentioribus ejus domeſticis, diligenter cuſtodiri, moxque poſt obi-

tum

tum Papæ à Cardinali Camerario confringi ſolet: & hæ dicuntur *Litteræ in forma Brevis*, quia brevibus verbis res in iis conſcribitur, voce jam olim uſurpatâ *l. fin. C. de Conven. Fiſci debitor. l. Excellentia 9. Cod. de erogat. milit. annon.* quamquam ſubinde prolixitate ſuâ non reſpondeant hujus nominis etymo.

15. Aliæ pro diverſa negotiorum qualitate conficiuntur per Cancellariam ſub *Bulla* ſeu *ſigillo plumbeo* pendente ex chordulis de cannabe, & quandoque in materiis gratiæ è filis ſericis, in membrana magis nigra, ac rudi, antiquo charactere Gallico, quæ *Bullæ* vocantur à præfato ſigillo plumbeo, hodie ex una ſui parte imagines SS. Petri & Pauli ſibi impreſſas, ex altera nomen Papæ regnantis inſcriptum habente, tanquam ultimo conſummativo Apoſtolicorum diplomatum, quibus nimirum *Bulla* ſive *ſigillum* ita demum firmitatem ac robur tribuit, ut ante ejus appenſionem litteræ Apoſtolicæ nondum ex-

pedi-

peditæ dicantur *C. licet.* 5. *X. de crimine falſi.* & hæc ſigillorum diverſitas vix ante ſæculum XV. in uſu, ſed Brevibus æquè ac Bullis ſigillum plumbeum appoſitum, ſigillumque Piſcatoris, cujus primo meminit Clemens IV. in privatis plerumque tantùm epiſtolis adhibitum fuit, quibus hodie gentilitia S. Pontificis inſignia apprimuntur.

16. Quòd autem aliqui veterum tranſumptores, ignari præſentium, aſſerunt, electum in S. Pontificem, ante coronationem ſuam, etiamnum dimidiâ tantùm Bullâ uti, eâ ſcilicet parte, cui ſacri vultus Apoſtolorum (ut eos appellat Innocentius III. *lib.* I. *regiſtr. epiſt.* 213) impreſſi ſunt, alterâ remanente vacuâ, cui aliàs nomen S. Pontificis inſcribi conſuevit, minimè verum eſt: licet enim, defuncto Papâ, hi quoque typi ſubitò deſtruantur: illicò tamen à creatione novi Pontificis (quidquid fuerit adhuc tempore Urbani IV. apud Illuſtriſſimum Spondanum *ad A. C.* 1261. *num.* 4.)

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*num 4* )novum quoque plumbum, ùt vocant, conficitur, & inter ſtylum ante & poſt coronationem Papæ, nihil diſcriminis obtinet, niſi quod in Data litterarum, loco verborum: *Pontificatûs noſtri*: ponatur *ſuſcepti à nobis Apoſtolatûs officii Anno primo*: excommunicatis à Clemente V. per extrav. com. *quia nonnulli 4. de ſent. excom.* meritò iis, qui literas Apoſtolicas ſuper quibuſcunque negotiis ante coronationem confectas impugnare non verentur, aut aſſerere præſumunt, quòd S. Pontifex ante ſuæ coronationis inſignia non debeat uti Bullâ, in qua nomen ipſius exprimatur: cùm electus validè Pontifex ſtatim, ac electioni de ſe factæ conſentit, pleniſſimam à Chriſto recipiat juriſdictionem *c. In nomine Domini 1. diſt. 23.* ùt liquet exemplo Urbani VII. cujus decimo-tertio ab electione die vitâ functi, antequã ordinatus & coronatus fuiſſet, ſtatuam Confraternitas Annunciatæ, erecto Romæ in Eccleſia FF. Prædi-

catorum ſepulcrali monumento, Pontificalibus quibuslibet inſignibus condecoravit. In vetuſtioribus quidem Bullis plumbeis nomen Pontificis ſolùm in antica, & in poſtica vocabulum *Papæ*, adhuc tempore Stephani VIII. conſpicitur: aſt hæc forma tractu temporis varias mutationes experta fuit, donec præſens uſus conſtanter invaluit: ſugillatq; Albertus Argentinenſis ad A. Chriſti 1342. Clementem VI. Lemovicenſem Patre Guilielmo Roſei Vici Domino natum, quòd contra prædeceſſorum morem, Bullas plumbeas Gentilitiis quinque roſis ſuis inſigniverit: ad cujus imitationem Urban. V. apud Ciacconium in iiſdem quinque Cruces, intra querneam coronam diſpoſitas pro ſigno aſſumpſit: & poſt duo ferè ſecula Paulus III. in gratiam gentis ſuæ Farneſiæ nomen ſuum plumbo impreſſum liliis cinxit.

17. In principio tam Brevium, quàm Bullarum, nomen Sancti Pontificis ponitur, non proprium in Baptiſmo

tiſmo acceptum (cujus initialem litteram tantùm in ſupplicationibus ad ſe directis, cùm annuit, propriâ manu, ex uſu recepto inferiùs adſcribit hoc modo: *Placet* B. id eſt *Benedictus* (quod baptiſmale S. Pontif. Innocentii XI. nomen fuit) *fiat ut petitur* B. & quandoque *fiat.* B. pro varietate rerum, quas memoriale concernit) ſed alterum *ſtatim ab electione aſſumptum* cum hoc diſcrimine, ut in Brevibus quidem dicatur: *Innocentius Papa XI.* at in Bullis, ſicut etiam in hac noſtra Gregoriana conſpicitur: *Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.* adeò ut, ſi abſque hujuſmodi inſcriptione Bulla quædam appareat, tanquam contra ſtylum concepta, de falſo ſuſpecta ſit, Flamin. Pariſ. *lib.* 8. *de reſignat. q.* 7. *n.* 113. quâ ſcribendi ratione primus inter Romanos Pontifices conſtanter uſus legitur S. Gregorius M. (unicâ forſan ejuſdem epiſtolâ ad Ethelbertum Anglorum Regem exceptâ) ad cohibendum Joannis Je-

 junato-

junatoris Patriarchæ C. Paniconatum, quo Patriarchæ Oecumenici titulum affectârat: cujus ſancti Papæ veſtigiis inſtitêre deinceps ejuſdem in Petri Cathedra Succeſſores.

18. Nec ſolidè refragantur, quo ad tituli hujus originem ij, qui jam ſeculo IV. tempore Euſebii Emiſſeni in Phœnicia Epiſcopi, ex ejus *Homil. 21. poſt Pentecoſt.* à SS. Pontificibus hoc nomen in ipſorum epiſtolis paſſim aſſumptum exiſtimant: cùm Homiliæ *de tempore & Sanctis*, ſub nomine præfati Euſebii editæ, in quibus laudatur S. Gregorius M. & diſputatur adverſùs Pelagium, *ex indicibus vaticanis, & fide Petri Diaconi Caſſinenſis Bibliothecarii* S. Brunoni Signienſi Epiſcopo vindicentur. Sique in *actis S. Damaſi Papæ*, Hic Stephano Carthaginenſi & tribus Conciliis Africanis reſcribens, eaſdem voces *Servi ſervorum Dei* adhibuiſſe legitur, vel iis obiter, vel ſemel tantùm uſus fuiſſe dicendus eſt, vel parùm fidei acta de offici-

officina Iſidori mercatoris producta merentur. Quam eandem nuncupationis formam, quamvis multi Papâ Rom. inferiores, tum Epiſcopi, tum alii, tam ante, quàm poſt S. Gregor. M. uſurparint : tractu temporis tamen hoc Nomen ita Pontificibus Romanis peculiare redditum fuit, ut nemo deinceps alius, præter hos, ſe, velut ex ſtylo, *Servum ſervorum Dei* appellarit.

*19. Brevia* non minoris ſunt roboris, quàm *Bullæ* per Cancellariam expeditæ, inſuperque in eo cum Bullis conveniunt, quòd ſubinde certis perſonis, dignitatibus, cœtibus, aut univerſitatibus dirigantur; quandoque verò ad *futuram aut perpetuam rei memoriam* (ſicut hæc noſtra Bulla) concipi ſoleant, in quo poſteriore caſu proinde nulla *ſalutatio* præmittitur, ſecùs, ac in literis primi generis ad univerſitatem, cœtum, aut ſingulares perſonas directis, niſi hæ ſcribantur ad Hebræos, Gentiles, Hæreticos, Schiſmaticos, vel Excommuni-

catos, quibus Papa vel nihil prorſus; vel hæc expreſſa verba *ſine ſalutatione*, ut Innocentius III. *lib.* 2. *Epiſt.* 28. *Poteſtati & Populis Tarviſinis ſine ſalutatione*: adſcribit, vel *lumen Divinæ gratiæ*; *ſanioris Conſilii ſpiritum*; *agnitionem viæ veritatis & agnitæ cuſtodiam &c.* apprecatur: notatq; Gloſ. in C. *ſi aliquando* 41. V. *ſalutationis* X. *de ſent. excom.* ſi quando S. Pontifex ſciens volens impertiatur excommunicatis *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*, quòd de jure Decretalium eos abſolvere præſumatur. Quia verò plerumque dubitabatur, an ſcienter vel ignoranter Pontifex cum excommunicato communicans, intenderet illum abſolvere, *Clem.* 1. *eodem*, ſtatutum fuit, ut, quamvis ſcienter Pontifex cum tali communicaverit, non ideò eum abſolviſſe credatur.

20. Eſt autem modus hic in ipſo literarum ingreſſu ſalutandi vetus, ùt, poſt Authores profanos, ex Canonicis quoque S. Scripturæ epiſtolis con-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtat, quarum Conditores iis, ad quos ſcripsêre, *gratiam, miſericordiam, pacem, ſalutem* exoptârunt: quæ poſtrema formula apprecandi *ſalutem* à ſanctis Apoſtolis communem epiſtolam ad alios dirigentibus *Act. 15. V. 23.* ex iiſdē verò ſigillatim ſcribentibus, ab unico S. Jacobo Græcè χαίρειν adhibita, Romanis Pontificibus deinde familiaris evaſit, adjunctis nonnunquam vocibus. *In Domino, in Chriſto, in roſeo Chriſti ſanguine &c.* ab Agathone verò & Conſtantino PP. talibus omiſſis, poſt *ſalutem* immediatè *Benedictionis Apoſtolicæ* mentio facta fuit: nullâ tamen certâ lege, uſque ad ætatem Leonis IX. Germani, ab Epiſcopatu Tullenſi ad S. Petri Apoſtolorum Principis Cathedram aſſumpti, cujus tempore fixa eſſe cœpit in litteris Apoſtolicis hæc ſalutandi formula: *Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

21. Et quemadmodum olim perindè fuit, utrius nomen in litteris, ſcri-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bentis videlicet, an ejus ad quem ſcribebatur, alteri præponeretur: imò plerumque ſcribentis tum apud Hebræos & Græcos; tum apud Latinos, primo loco poſitum cernitur, ut *2. Machab.* 1. *v.* 10. *cit. Act.* 15. *v.* 23. *Act.* 23. *v.* 26. adeo ut Auſonius neceſſitate metri nomen ſuum nomini Paulini poſtponens, id excuſaſſe legatur hoc diſticho.

*Paulino Auſonius: metrum ſic ſuaſit, ut eſſes*
*Tu prior, & nomen prægrederêre meum.*

Ita quoq; nomina SS Pont. nullâ cujuſquã ratione habitâ, modò primũ, modò poſtremum locum occupaſſe, liquet ex pluribus eorundem epiſtolis, & ſignanter S. Leonis P. cujus nomen *Epi* 12. *Cæſari Theod. Religioſiſſimo & piiſſimo Auguſto, Leo Papa Eccleſiæ Catholicæ Urbis Romæ*, Imperatorio nomine poſtpoſitum cernitur; alibi verò, ſcilicet *Epiſt.* 17. & 33. *Leo Epiſcopus Theodoſio ſemper Auguſto*, eidem

dem prælatum : donec ſeculo IX. Nicolaus I. etiam cum Imperatoribus ac Regibus tractans in literarum inſcriptionibus continuò primas ſuomet nomini detulit, cujuſmodi ſtylum ex eo tempore (ſi Formoſum P. ad Epiſcopos Angliæ *epiſt.* 2. ita ſcribententem : *Fratribus & Filiis in Chriſto omnibus Epiſcopis Angliæ Formoſus* & Benedictum VII. ſimiliter ſtyli præfati non adeò tenacem excipimus ) ad noſtra uſque tempora conſervarunt: cujus ultimi ſtyli ratio peti poſſe videtur ex Hilario Sardo Eccleſiæ Romanæ Diacono *Authore commentariorum in epiſtolas S. Pauli*, in quibus exiſtimat, ejuſmodi ſtylum convenire dignitati ſcribentis, *ſicut Judices ſeculi ſolent ad eos, quos regunt, ſcripta dirigere.*

22. Quanquam porrò unicuique dignitatis ſuæ titulos inſcribere liceat, & plerique profani Principes longam titulorum ſeriem nominibus ſuis ſubnectere ſoleant : Romani Pontifices

tamẽ(ut ut ab aliis tum Imperatoribus ac Regibus, tum Conciliis, Patriarchis, Epiſcopis, &c. honorati præcellentibus titulis *Apicis Pontificatûs, Domini Domûs Dei, Patris Patrum, Principis Eccleſiæ vel Epiſcoporum &c.*) vel nuda tantùm nomina ſua, ut ſuprà *Formoſus*, præmiſerunt in literis, quam ſolius nominis præpoſitionem Symmachus *lib. 2. epiſt. 35.* formam vetuſtatis appellat; vel iis voces *Epiſcopi*, aut *Papæ* quandoque cum addito *Romani, Urbis Romæ, vel ſimpliciter Eccleſiæ Catholicæ*, ſine loci cujuſquam particularis expreſſione, ſubjunxerunt: hodieque, ùt *nu. 16.* innui, inconcuſsè ſervatur hic ſtylus, ut S. Pontifex in Brevibus ſe *Papam* abſque addito, & in Bullis abſolutè *Epiſcopum, ſervum ſervorum Dei* appellet.

23. Quod utrumque nomen, licèt in ſe ſimpliciſſimum, & illud *Papæ* quidem, juxta dicta in *Iſag. Paraſcevaſt. ad conferent Clerical. qu. 10. fol. 170.* & mox dicenda *nu. 24.* olim quibuslibet

bet Clericis ; alterum verò *Epiſcopi* , cunctis in Epiſcopali gradu conſtitutis commune, modò univerſaliſſimam in Romano Pontifice juriſdictionem ſpiritualem , non everſivam Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, indicat, neque nomen *Epiſcopi* abſolutè prolatum , ſive ſine adjectione propriæ Eccleſiæ ſuæ poſitum , quicunque alius orbis Epiſcopus adhibet , eademque de cauſa S. Rituum Congregatio, ad relationem Eminentiſſimi Azzolini , 11. *Martii 1684.* orationem dè S. Andrea Corſino, quæ incipit : *Deus plebis tuæ miſerator* : propter verba : *Paſtoris ſui ſolemnia recenſenti* : pro ſola Diœceſi Feſulana firmam remanere , ac aliam tunc præſcriptam, ab Eccleſia univerſali recitari præcepit : aut ſicubi quidam, ùt *in collationibus cum Donatiſtis Carthagine habitis* Fortunatianus, Aurelius, & Auguſtinus, abſolutè inſcribuntur *Epiſcopi Eccleſiæ Catholicæ,* per eum loquendi modum à Donatiſtarum Epiſcopis diſcernuntur: in



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quo eodem ſenſu Felix III. *epiſt.* 4. *ad Zenon. Imper.* aſſeruit, Petrum Alexandrinum Eutychii ſectatorem à Donatiſtis & Hæreticis ordinatum non potuiſſe præſidere *Eccleſiæ Catholicæ*, hoc eſt, Eccleſiæ *cuiquam* Catholicæ, adeòque nec Alexandrinæ. Similiter Charibertus Francorum Rex An. C. 562. apud Valeſium *in præf. ad tom.* 2. *ver. Francicus* unum Sedis Romanæ Antiſtitem *Papæ* appellatione deſignat, idque nomen Gregorius VII. in Concilio Romæ An. C 1075. habito, ut conſtat ex *Actis ejus Synodi*, quæ habentur in Regeſto epiſtolarum ejuſdem, ad Pontificis Romani perſonam reſtrinxit.

24. In verbis denique, *Servus ſervorum Dei*, SS. Pontifices ad illud Chriſti *Matth.* 20. *v.* 27. & 28. reſpiciunt: *Qui voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſervus: Sicut Filius hominis non venit miniſtrari; ſed miniſtrare*: & hoc ipſo, quo tam inſigne præbent humilitatis ac modeſtiæ ſpecimẽ,

ſubli-

ſublimiores cæteris dignoſcuntur. Neque hæc eorum denominatio ex illa Noëmi ad Chanaan maledictione *Geneſ. 9. v. 25. Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit*, ſed ex S. Gregorii facto, ut *num.* 17. recenſui, fundato in modò dicta Chriſti ſententia ſumitur, atque per additamentum *Dei*, juxta obſervationem Ruperti Abbatis *ad hunc Geneſ. locum*, diſcrimen condemnationis ad ſervitutem viliſſimam, à voluntaria ac laudabili ſubmiſſione animi declaratur.

25. Quæ dum ſcribo, occurrit mihi, quod de S. Gregorio M. refert Joannes Diaconus in *ejus vita lib. 4. num.* 58. his verbis: *omnes quidem ſacerdotes, Fratres & Comminiſtros, Clericos autem diverſi Ordinis dilectiſſimos Filios; at verò Laicos viros Dominos, & fœminas Dominas in ſuis litteris nominabat: neque ab aliquo ſe ſummum Pontificem aut univerſalem, ſive Dominum vocari æquanimiter permittebat &c.* Ubi quantum ad vo-

cem *Domini* conſtat, alios quoque S. Sedis Romanæ & ſupremos Eccleſiæ univerſalis Antiſtites in formula Litaneutica, eo in loco, quo Eccleſia Capitis ſui viſibilis in publicis precibus meminit, egregiâ humilitate, non niſi per ſyncopen *Domnos Apoſtolicos* nuncupari voluiſſe: quâ illorum modeſtiâ non obſtante, ab aliis Patriarchis, Epiſcopis, cæteriſque fidelibus, imò poſt Imperium ad Germanos translatum, ab ipſis etiam Romanis Imperatoribus citra difficultatem *Domini* appellati fuerunt, & mortuus noviſſimè felic. record. Romanus Pontifex ita ſalutatus fuit in litterarum ingreſſu à ſacra Majeſtate Cæſarea: *Beatiſſimo in Chriſto Patri Innocentio XI. Divinâ Providentiâ ſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Domino Reverendiſſimo, Leopoldus eâdem divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ,*

*Scla-*

*Sclavoniæ &c. Rex &c. poſt officioſam commendationem, Filialis noſtræ obſervantiæ perpetuum incrementum.* eo planè modo, quo S. Hieronymus *ad Theophil.* reportatum apud Monachos fructum Epiſcopalis modeſtiæ celebrat, *Non quæris Monachos tibi eſſe ſubjectos; ideò magis ſubjectos habes: tu offers oſculum, illi colla ſubmittunt &c.*

26. Quantum deinde ad nomen *Fratrum* & *Filiorum*: cùm juxta *Geneſis 9. v. 5.* omnes homines, velut unius naturæ partus, ſibi jure quodam germanitatis, ceu fratres connectantur, ideoque S. Auguſtinus non ſolùm Donatiſtas *in Brevic poſt collat. c. 3.* ſed & Madaurenſes adhuc idololatras *epiſt.* 42. titulo *Fratrum* honoret: multò æquiùs in Eccleſia quondam receptum fuit, exemplô Chriſti & Apoſtolorum, ut fraternitatis nomen ſibi quique fideles communiter arrogarent, ob lavacrum ſcilicet regenerationis, ſeu fontem geni-

genitalem baptiſmi, ùt eum vocat S. Cyprianus *epiſt.* 2. è quo velut *utero fidelium*, ſecundùm S. Chryſoſtomi phraſin *in c.* 4. *ad Galat.* omnes Chriſti infantes naſcuntur. Quod *fratrum* nomen cùm, tempore hujus ſancti, peculiariter ſibi tribuiſſent Monachi, ſanctus Eccleſiæ Doctor *hom.* 80. ad illud *S. Matth.* 25. *v.* 40. *Quamdiu facitis uni ex his fratribus meis*: *& homil.* 25. *ad Hebr.* excutiens illud 1. *Corin.* 5. *v.* 11. *Si quis frater nominatur inter vos*: id minimè ferendum cenſuit, eidemque poſt alios, adhæſit S. Doctor Angelicus 22. *q.* 187. *a.* 3. *ad* 2. & *quodlibet* 7. *a.* 17. *ad* 4. Imò S. Auguſtinus *lib. de vera relig. cap.* 46. fideles ſub varia ratione ſibi & *Patres*, & *Filios* eſſe poſſe oſtendit: *omnes ſub uno Deo Patre cognati invicem ſibi ſunt, & Patres, cùm ſibi conſulunt; & filii, cùm ſibi obtemperant; & Fratres, maximè quia eos unus Pater teſtamento ſuo ad unam hereditatem vocat.* Sicque Apoſtoli cæteros fideles

les tractârunt modò ut *Fratres*, quatenus ex eodem baptiſmo renatos, & ſubinde ut *Filios* à ſe per Evangelium miniſterialiter genitos, *1. Corinth. 4. v.* 15. in quo ſenſu S Ambroſius *lib. 1. de offic. c. 7.* munus Epiſcopale, reſpectu ſubditi gregis, *Paternum* dixit; & quicunque ſacerdotes olim idcircò, quòd vi initiationis ſuæ haberent, unde per Sacramentorum adminiſtrationem poſſent conferre, Chriſti nomine, gratiam, quæ ſemen gloriæ dicitur, nomen *Paparum*, id eſt *Patrum* ſortiti fuerunt.

27. In cujuſmodi ſenſu per S. Auguſtinum relato ſi quando Gregorius II. & Sylveſter II. Romani Pontifices olim quoſdam Epiſcopos, velut ab Apoſtolica Sede poteſtatem & gradum ejuſmodi nactos, eidemq; fideles ac morigeros, vocabulo *Filiorũ* compellâſſe legũtur: à plurimo tempore tamen *c. quã gravi 6. x. de crimi. fa'ſi*, hæc in eorum litteris conſuetu-

do

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

do invaluit, ut Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, utpote in Paſtoralis ſolicitudinis partem accitos *Fratres*; cæteros autem Reges, Principes, ac alios cujuſcunque ordinis, etiam Cardinales non Epiſcopos (niſi tractent cum toto Collegio) filios duntaxat appellent: ubi hoc ſingulare occurrit, quòd ante domitam à Gothis Italiam, & urbem Theodorico ſubjectam, in ſuis ad Imperatorem litteris, *inſcriptione filii* conſultò ſuperſederint, atque à tempore Zenonis & Anaſtaſii Imperatorum ſimilis inſcriptio primùm ſenſim in ſtylum tranſierit, ùt obvia paſſim exempla teſtantur.

28. Inſertæ ſunt etiam huic Conſtitutioni Gregorianæ *clauſulæ derogatoriæ*, juxta conſuetum Curiæ ſtylum, qui natus videtur ex diſſenſione Canoniſtarum poſt decreta Pontificalia ſub Gregorio IX. à S. Raymundo de Peñafort A. C. *123*0 in unum Decretalium volumen redacta, inter

ſe

ſe altercantium ſuper *c. nonnulli 28. in V. expreſſam de hac Conſtitutione fecerint mentionem* ẍ. *de Reſcr. An reſcriptum contra jus deroget juri, cujus non fecerit mentionem* ? quæ lis cùm tractu temporis ex eo magis convaleſceret, quòd SS. Pontificum aliqui derogarent expreſsè diſpoſitionibus contrariis præcedentibus, ſubinde generaliter per clauſulam: *Non obſtantibus conſtitutionibus contrariis quibuſcunque*: & nonnunquam in ſpecie: *non obſtantibus Bonifacii P. VIII. de una & Concilii generalis de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis ac Conciliaribus conſtitutionibus &c.* vel ſicut in hac noſtra Bulla Gregoriana: *Non obſtantibus præmiſſis, tam Sixti & Pii V. quàm aliorum quorumcunque Prædeceſſorum noſtrorum litteris Apoſtolicis, privilegiis &c.* Alii verò inſertione clauſularum ejuſmodi ſuperſederent: ad tollendas duntaxat Cauſidicorum cavillationes, ne litteras Apoſtolicas in cauſis Clientum, ſub

præ-

prætextu defectûs ſimilium clauſularum, ab aliis impugnari contingeret, hæ deinceps, quanquam non ſine varietate, adhiberi cæperunt, factâ etiam quandoque individuâ mentione nonnullarum legum hoc ita exigentium, quarum prolixus plerumque tenor ne, ſi totus insereretur novæ conſtitutioni, aut reſcripto deroganti, paginam verbis obrueret, clauſula generalis æquipollens individuæ expreſſioni iiſdem vel ſimilibus verbis inventa fuit, qualibus hæc noſtra Bulla Gregoriana *num.* 10. utitur: cujus æquè, ac aliarum quarumlibet clauſularum, ſenſus & effectus hic eſt, quòd S Pontifex corrigi, vel abrogari velit quaſcunque contrarias diſpoſitiones, aut conſuetudines priores etiam ſpeciali notâ dignas, quarum notitiam in pectoris ſui ſcrinio verè habet, aut habere præſumitur, ne videlicet non abſque ſummo tum propriæ authoritatis, tum boni communis præjudicio, aliud dicere, & a-
liud

liud velle cenſeatur. Idem eſt de clauſula *ſublatâ*, & *decreto irritante*, quæ ejus naturæ ſunt, ut inficiant quamlibet contrariam poſſeſſionem & conſuetudinem, ac eandem impediant, ne unquam oriatur, aut progreſſum capiat, ex deductis generaliter in Rota *deciſ.* 400. *p.* 9. *recen.* unde reſultat, ut in iis, quæ conſtitutioni cuipiam tali clauſulâ atque decreto præmunitæ adverſa ſunt, nulla poſſeſſio, vel præſcriptio ſuffragetur, nec allegari valeat, omneſque actus contrarii pro infectis habeantur.

29. Quantum *ad promulgationem*, neminem latet, eam eſſe conditionem, ſine qua neque lex Eccleſiaſtica, neque civilis effectum conſequitur: unde apud Romanos olim, lege ſemel conceptâ, rogabatur in curiatis comitiis populus, an acceptaret eandem, nec antè ligabatur, quàm illam tribus nundinis pro roſtris editam *sciviſſet*, id eſt confirmâſſet ſeu approbâſſet: ſufficiente tunc

ad legis impugnationem hoc ſolo, ſi non idoneo die promulgata fuiſſet. Quoad *Leges Eccleſiaſticas*, multi volunt promulgationem conſtitutionum atque decretorum Papalium in Curia Romana ſufficere, niſi caveatur expreſsè, ſicut *c. cùm infirmitas.* 13. ẍ *de pœnit. & remiſſ.* ut per Prælatos locorum in ſingulis Provinciis certæ conſtitutiones ſpecialiter publicentur. Quorum tamen opinioni repugnant Panormitanus *ad cap. cognoſcentes* 2. ẍ *de conſtit.* Angelus *V. lex, q.* 11. Medina *ad* 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. Sotus *de juſtit. l.* 1. *q.* 1. *a.* 4. Molina *de juſtit. & jure, tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 395. *num.* 4. Marchantius *in horto Paſtor. in Reſ. Paſto. c.* 4. *q.* 21. Sà. V. *Lex num.* 9. *&c.* ea potiſſimùm de cauſa, cùm Juſtinianus Imperator *Nov.* 66. ex præſcripto rationis naturalis eandem ubique vim obtinentis caverit, ut tunc demum quiſque novis conſtitutionibus efficaciter obſtringatur, cùm hæ in Provinciis authoritate

pub-

publicâ promulgatæ fuerint, quò nimirum ab *univerſis*, quorum actiones dirigere debent, *intelligantur*. *L. Leges ſacratiſſimæ*. 9. *Cod. de LL.* neque contrarium ulla lex Eccleſiaſtica ſtatuat, ex principio *can. ſi in adjutorium*. 7. *diſt*. 10. & *c. Intelleximus*. 1. *X. de novi oper. nunt.* quòd nulla quoad hoc diſcriminis aſſerendi ratio inveniatur: idque tantò magis, cùm diffuſi per quatuor mundi plagas ſpiritualis regni vaſtitas conſtitutiones Romæ tantùm publicatas non ſinat uniformiter innoteſcere per omnes Provincias, in quibus ſpecialiter promulgatæ non ſunt; nec quæcunque relatio, aut fama de lege edita ad obligationem ſufficiat; magnamque difformitatem & confuſionem inter fideles in iiſdem Provinciis degentes, atque conſcientiarum illaqueationem omninò ſequi neceſſe ſit, ſi nova le[illegible] quædam Eccleſiaſtica Romæ publicon[illegible] ſparſim per mundum aliquos [illegible] eadem caſualiter inſtructos obli-

gare

gare dicatur, aliis interim, ob neceſſariæ informationis ac notitiæ defectum, in obſequendi libertate relictis. Quò cùm plura quoque Concilia, à plerarumque licèt partium Epiſcopis frequentata, reſpexerint, jubendo Canones à ſe conditos per Provincias divulgari: haud aliud de SS. Pontificibus novas leges Eccleſiaſticas Romæ condentibus (quando contrarium non exprimunt in iis, quæ declarationem juris naturalis, aut divini, vel aliqua manifeſtè toti orbi uniformiter utilia ac neceſſaria continent) credi vel præſumi poſſè cenſent, quàm quòd in talibus inducendis non minore cum providentia & ſuavitate procedere cupiant, ac pro avertendis incommodis ſuprà expoſitis, tum œcumenicæ & aliæ Synodi, tum Imperatores profani: maximè cùm æquè commodè, ac Principum edicta, propalari per ſingulas ſubd[illegible] orbis Provincias valeant ab Illuſtriſſimis Nuntiis Apoſtolicis, ac ipſis etiam

iam Ordinariis primæ Sedi ſubjectis. Quod in fidei decretis idcircò ſecùs eſſe notat Cabaſſutius *in Theor. & praxi Juris Cano. l. 1. cap. 4. num. 6.* ut iis ligentur, quicunque privatim ſufficientem illorum notitiam obtinent, quamvis in Provinciis promulgata non fuerint, quia reliqua decreta ſunt juris humani vel Eccleſiaſtici, nec niſi juxta modum civilem & humanum obligant, primariò quidem populum, ſecundariò autem ſingulos particulares, quatenus ſub obligatione publica comprehenduntur. At leges Divinæ ſeorſim ſingulos adſtringunt, quibus plenè innotuerint, tametſi modo civili promulgatæ non fuerint, ſicut exemplo Eunuchi Reginæ Candacis *Act. 8. v. 35. & ſeq.* liquet, infidelē obligationi fidei ſubjici, ſi ei ſufficienter, quamvis per privata colloquia, ut hîc cum Philippo Diacono, proponatur.

30. His Doctorum ſententiis ita ſecum pugnantibus, ut aliqua eás

conciliandi ratio inveniatur: cùm nova lex poſitiva ſingulis totius Eccleſiæ ſubditis perſonaliter proponi non poſſit, & legislatoris tamen voluntas iis ſenſibiliter innoteſcere debeat: ea novæ legis promulgatio *abſolutè & ſubſtantialiter* requiri dicenda eſt, quæ cunctorum repræſentantibus, Miniſtris, aut Procuratoribus, vel Agentibus facillimè pateſiat, à quibus ejuſdem notitia ſenſim ad alios pertingere valeat: id verò ſatis præſtatur per publicationem ſolemnem in Curia Summi Pontificis, ubi cùm plerorumque Principum tum ſæcularium, tum Eccleſiaſticorum Miniſtri continuò reſideant, ac novis ejuſmodi legibus in forma ſolita publicè lectis & affixis, ſaltem populus, & ii, qui tunc Romæ fuerunt, actu obligentur, patet, propoſirionem ita ſolemniter in Curia factam, ad *ſimpliciter* obligandum ſufficere, nec aliter deinde ( niſi legislator ipſe ſecùs declaret ) promulgationes in ſingu-

ſingulis Provinciis , quàm purè *ſecundùm quid* , *ac veluti complementum publicationis ſubſtantialis jam priùs in Curia factæ requiri* , ut nemo videlicet ignorantiam obtendere poſſit, omniſque in communitate difformitas atque confuſio evitetur.

Nec obſtat , quòd notitia legis in Curia ſolemniter editæ non illicò ad omnes perveniat : cùm apud eos ſaltem vim ſortiatur , quibus legitimè innotuit , nec ad fundandam obligationem , ſingulorum præcisè notitiâ opus ſit , dummodo ſciant ii , à quibus vel ex officio , vel aliàs derivari deinde ad cæteros valeat : ſicut obligatio ex contractu Patris pro ſe ac ſuis in infinitum deſcendentibus objectivè repræſentatis , ad liberos ac nepotes , etſi tunc nondum exiſtentes & ignorantes , pertingit ; ignorantiâ ad id proficiente fidelibus remotis à Curia , ne omiſſio ( *materialiter & ex ſe peccaminoſa* ) ob defectum notitiæ ac intentionis iis imputetur

 ad

ad culpam aut pœnam, donec ſufficienter cognoverint; vel ſufficienter excitati ad quærendam legis notitiam, ex mera negligentia vel contemptu, eâdem caruerint; aut in foro externo de ipſis alterutrum præſumatur.

32. Quamvis non negem, ut lex quædam nova cum fructu inducatur, commendari à charitate atque prudentia meritò debere illos SS. Pontifices, qui ſeclusâ graviore causâ, qualis foret E. G. timor, necubi injuſtè impediatur ejuſdem publicatio (exemplo S Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. de matrim. cap.* 1.) legum ſuarum obligationem in actu ſecundo cohibent, antequam in Provinciis promulgentur. Qui ſi tamen ex urgente cauſa ſpeciali, & quaſi per accidens velint, ut lex in Curia tantùm promulgata ubique obliget, hancque intentionem ſuam exprimant, eo caſu Ordinarii, tanquam in partem ſollicitudinis vocati, habitâ ejus notitiâ,

(ad

(ad quam ſibi maturè procurandam ex neceſſitate ſui officii eos ad proponenda gregi ſuo neceſſaria obligantis conſtringuntur) etſi de eo ſpeciale mandatum à S. Sede non acceperint, ſeriò providere tenentur, ut in Diœceſibus ſuis lex innoteſcat fidelibus, & ab iiſdem fideliter obſervetur: non obſtante allegato principio Canonum, *de ſectanda lege civili, ubi de Jure Canonico nihil ſpeciatim invenitur diſpoſitum*, utpote quod ad judiciales duntaxat cauſas pertinet, quæ in foro Eccleſiaſtico in tali caſu ex legibus Imperatoriis deciduntur: dum èconträ Conſtitutiones merè poſitivæ SS. Pontificum Romæ tantùm publicatæ, in rebus ad diſciplinam & mores ſpectantibus, ſi Legiſlatores ex inſpecta qualitate verborum ita voluerint, ſicut ex dictis poſſunt, etiam perſonas procul ab urbe morantes conſtringunt, peccantque, qui tunc eas recipere abnuunt, quatenus ſine cauſa ſe legitimæ

 autho-

authoritati ſubducunt, cui abſolutè à Chriſto *Matth 16 v.19.* & *Ioan.21. v.17.* ſine conditione, ſi acceptent, ſubjecti ſunt: neque juſtæ præſumptioni voluntatis non omninò abſolutæ in S. Pontifice cum certis quibuſdam circumſtantiis nequaquam obligare volentis locus eſt, ubi ſemet aliter apertè declarat: imò formalis contemptus committitur, ſi quando ſub quibuſcunque ſpecioſiſſimis licèt proteſtationibus de non violanda reverentia & ſubmiſſione ſanctæ Sedi Romanæ debita, contra expreſſum S. Pontificis præceptum in materiis ad ipſum pertinentibus ab ejuſdem ſententia, deciſione, juſſu, ſeu declaratione recedatur. Et hoc deploratis ac perditis cauſis commune aſylum eò uſque captari hodie ſolet à multis, quibus in præſentibus extremiſque malis dilatio pro remedio eſt, ut in ipſam quoque Cathedram Petri impingere, mille perturbationes concitare, ac turpe

ſchiſ-

ſchiſma introducere non dubitent, dummodo executioni quantumvis juſtæ ac neceſſariæ remoras injicere valeant, uſque dum cauſa vel rerum ſtatus faciem mutet: quæ ſtropha præprimis Euſebio Sorici Palatino technis atque verſutiis pleno familiaris fuit, adeò ut, referente Sozomeno *l. 3. cap. 7.* Euſebiani ad Julium Papam litteras ironiæ, graviumque injuriarum plenas ſcribere, contumelioſeque hujus S. Pontificis ſententiam contra ſe latam impetere, contra Eccleſiæ Romanæ primatum inſurgere, apertoque ſchiſmate Philippopolim ſecedere, ac talia perpetrare præſumpſerint, de quibus Sardicenſem Synodum Julius Papa *epiſt.* 4 erubuiſſe teſtatur. A quibus Magiſtris alii deinde ad hæc uſque tempora didicerunt Romanam Eccleſiam iniquitatis arguere, ac nullam non debitæ ſubjectionis & reverentiæ legem audacter perfringere, dum impietatem ſuam ſtabilire moliuntur:

aliter ac S. Cyrillus Alexandrinus, qui ad declinandum ſcandalum, relicto Præſidis & Apoſtolici Vicarii throno, inter reos ſe poſuit; tametſi, teſte Facundo *l. 7. cap. 5.* ex ſola ſuſpicione damnatus: cujus adinſtar, ſi refractarii quidam cauſæ ſuæ fiderent, publicumque bonum privato præponerent, nunquam ſchiſmati ac mille ſcandalis & malis anſam præberent.

33. Si verò Pontificalium Bullarum ac Brevium executioni ſupremi quidam Principes in Regnis & Principatibus ſuis extrajudicialem quandam notitiam de facto nonnunquam præmittunt, id minimè contingit, quaſi abſque tali illorum placito, ut optimè diſtinguit Emin. de Luca *in relat. Roman. Cur. Foren. diſc. 2. num. 36* S Pontifici deſit juriſdictio ac poteſtas in cauſis ac rebus ad ſe pertinentibus; ſed quia Principibus expedit, habere ſcientiam de omnibus intra territoriorum ſuorum fines ſucceden-

cedentibus : ne fortè à S. Pontifice procul diſſito nihil minùs intendente, ex errore & ignorantia facti, circa abrogationem veterum, aut novorum introductionem, in Regnis ac ditionibus illorum aliquid intempeſtivè geratur: qui nonnullorum Principum mos (præmittendi ſcilicet Apoſtolicorum juſſuum executioni *Litteras Placiti*, ut Hiſpani; ſeu *Regium pareatis*, ut Galli; ſive *exequatur Regium*, ut Neapolitani appellant) reverenter intra terminos obſervantiæ filialis continere ſe debet, ſicut in nonnullis Principatibus, abſente Rege, per Vicarios regi ſolitis, illa executorario ſeu notitia prævia, ſine qua proviſiones ac litteræ Regiæ executioni non demandantur, ſalvâ ſemper Regis authoritate: quale quid in iis quoque ſtatûs Eccleſiaſtici Provinciis laudabiliter obtinere notat *cit.* Cardinalis de Luca, quæ per Cardinales Legatos gubernantur: & prout jam olim *Novel.* 152.

Præfectis prætorio licuit tamdiu novarum legum ad ſe miſſarum executionem, ſi è re publica judicâſſent, ſuſpendere, donec relatu neceſſaria Principi ſuggeſſiſſent: cujus mente poſtmodum cognitâ, obſequium differri non amplius potuit, ut inexcuſabiles proinde coram Deo forent quicunque ſupremi Principes, qui vel aliquid plus, ſine ultronea Eccleſiæ conceſſione, ſibi arrogare, vel litterarum Apoſtolicarum executionem, ſub prætextu quolibet Divinis ſaltem oculis non illudente, in ſuis terris ſuſpendere, aut prorſus impedire, vel in ipſas Eccleſiæ leges aut actiones ſibi qualecunque judicium authoritativum vindicare, fideique ac diſciplinæ magiſtros Epiſcopos in talibus cenſere præſumerent: nec quantâvis ſupremâ temporali authoritate ſuâ à culpa & certa Dei vindictæ redderentur immunes: etſi religionis aut alterius cujuſcunque virtutis ſtudium pro uſurpationis ſuæ motivo alle-

allegent, reprehendendi à ſupremo Patre familias Deo, quòd pulcherrimum in domo, in qua ſua cuique diviſa ſunt munera, nempe ipſum ordinem, quantum quidem in ipſis eſt, tollant, non ſine gravi injuria Divinæ Prudentiæ & Sapientiæ, quæ ſingula ſingulis ita diſtribuit in Eccleſia Chriſti, ut inferiores ſuperiorum officiis nequaquam fungantur, nec unicuique, ne quidem Principi, liceat pro arbitratu ſuo omnia exercere: prout Ozas expertus fuit, quem, licèt honoris causâ manum arcæ Dei admoventem, ultio Divina è vivis illicò ſuſtulit, non alia de cauſa, niſi quia temerè, quod pertinebat ad ſacerdotum & Levitarum officium, ſupplere præſumpſit: ſimiliterque Rex Ozias leprâ à Deo percuſſus legitur, quòd incenſum ad altare Thymiamatis adolere voluerit, hoc eſt, alieno miniſterio fungi.

34. Neque porrò dura videri debet cuipiam adjecta ſub finem contra

temerarios hujus conſtitutionis Gregorianæ infractores interminatio indignationis omnipotentis Dei , ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum : cùm ad coërcendos impiorum auſus , ipſi Apoſtoli , horumque exemplo SS. Pontifices atque Concilia jam ab antiquo ſæpiùs anathematiſmis & imprecationibus , non ex odio , aut nocendi cupidine, ſed ex charitate utendum putaverint : cujuſmodi imprecationum modi ferè omnes in Concilio Toletano IV. *cap.* 75. referuntur , & in donationibus , quæ locis Deo ſacris factæ ſunt , potiſſimùm occurrunt , ne , frigeſcente fidelium beneficentiâ , & creſcente ècontrà apud complures ſtudio deprimendi Clerũ, & Eccleſias , eas ſubverti contingat. Quod ne in hac immunitatis localis materia facilè eveniret , Gregorius XIV. ſimiliter hanc conſtitutionem ſuam interminatione Cenſuræ, & Divinæ indignationis communivit : quemadmodum S. Paulus Alexan-

lexandrum & Himenæum Sathanæ tradidit, in carnis interitum, ut diſcerent non blaſphemare. Ubi cur, ſicut in Bullis plumbeis utriuſque Apoſtoli effigies, ita & in ejuſmodi imprecationibus amborum nomina adhiberi ſoleant, orthodoxus tractatus C. Poli in conventu FF. Prædicatorum repertus, apud P. Chriſtianum Lupum *in ſcholio excommunicationis Regis Henrici* exponit: illudque prætereundum non eſt, quod habet Donatus *tract. 9. de Clauſul. privileg. clauſ. 16. nu. 3.* privari poſſe beneficiis Eccleſiaſticis contravenientes conſtitutionibus cum clauſula tali conceptis.

35. Data eſt hæc Conſtitutio Romæ in monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo primo, Nono calendas Junii, Pontificatûs ſui an. primo: & affixa ac publicata more conſueto, die vigeſima octava menſis Maii in valvis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe & S. Joannis

La-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Lateranenſis, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie campi Floræ, ubi in Aula ad id deſtinata per turnum unus ex curſoribus qui Magiſter Curſorum dicitur, ad præfinitum tempus quoddam reſidere conſuevit &c. ubi plura circa ſtylum *Datarum Apoſtolicarũ* obſervanda occurrunt.

*36.* I. Hodie ratione loci duplicem eſſe Datam S. Pontificis Romæ ſedentis, nempè vel apud S. Petrum, ſi, prout hyberno tempore ſolet, in Vaticani collis Palatio habitet, in cujus ſubjecta planitie propè Naumachiam, ut antiqui Codices innuunt, S. Petrum in crucem actum Paulus Aringus *Roma ſubterranea l. 1. c. 2.* fusè oſtendit; *vel in monte Quirinali* à præſtantiſſimis duobus equis in eodem colle expoſitis hodie vulgò appellato *monte Cavallo*, ubi æſtivo tempore degunt Pontifices, cujus montis à *Quirini* templo dicti nomine ac loco, Paulus V. ob ſuam erga Deiparam Virginem devotionem, ab Eccleſia S. Mariæ Majoris ſeu *ad Nives,*

ves,

*ves*, eidem habitationi æſtivæ à ſe in ampliorem formam redactæ propinqua, *Datam* ita deinceps concipi voluit: *Dat. Romæ apud S. Mariam, &c.* Quod ſi verò S. Pontifex alibi ſcriberet, quamvis Curia Romana *formaliter* accepta pro loco, in quo S. Pontifex p. t. reſidet in quacunque mundi parte, extra Urbem, talis, ac ideò ſecundùm Canoniſtas, *ubi Papa, ibi Roma*, dicatur: ejus tamen loci particularis nomen cum expreſſione Diœceſis adſcriberet, ſicuti novimus, tempore Alexandri VII. fel. record. quandoque in arce Gandulphi Urbi proxima commorantis, aliquas ejus conſtitutiones cum *Data in arce Gandulphi Diœceſ. Albanen.* emiſſas fuiſſe. Quod autem Bullæ Pontificales affigantur & publicentur etiam in valvis Baſilicæ *Lateranenſ.* ſeu *Conſtantinianæ*, vel *Salvatoris*, mirũ non eſt, cùm ea ſit Eccleſia Epiſcopalis Romana S. Pontificis, à Conſtantino M. conſtructa, cui adjunctum Palatium, olim

olim Plautii Laterani hominis Conſularis à Nerone occiſi domus, tunc in fiſcum redacta, demumque Fauſtæ Conſtantini M. conjugi data, ac indè *ædium Fauſtæ* nomen ſortita, jam tempore Melchiadis Papæ, Pontifici Romano vero ſimiliter ex ejuſdem Fauſtæ dono pro fixa ſede ſervivit: ubi, teſte Optato Melevitano *lib.* 1. Synodaliter damnatus fuit Donatus à caſis nigris cum ſuis, qui cùm appellâſſent à judicio Melchiadis & Collegarum ad Conſtantinum Imperatorem, idem Optatus *cit.* tradit. Conſtantinum reſpondiſſe: *ô rabida furoris audacia! ſicut in cauſis gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.* Verùm hæc non faciunt ad rem præſentem.

37. Ante Numæ tempora Romani decimeſtri periodo annum definiebant, primis menſi Martio datis: hic verò Januarium & Februarium addidit, & à Januario annum incepit: quem morem ipſa quoque Romana Eccleſia obſervavit: quidquid alibi

tantiſper

tantiſper fieri hac in parte conſueverit, primordio anni tributo vel Martio, vel feſto Paſchali, cujus proinde majori cereo novus annus inſcribi ſolebat. Non rarò tamen ii non minùs qui ordiebantur annum à Paſchate, quàm qui à Chriſti nativitate, iiſdem verbis: anno *ab Incarnatione*, uſi fuêre, quem Incarnationis annum etiam Carolus M frequenter expreſſit, creditque Venerabilis Beda *lib. de ratio. temp. c.* 45. Annum Incarnationis Dominicæ Authore *Dionyſio* Scythâ Monacho, cognomento *Exiguo*, ſcribente Cyclos Paſchales, & ab eodem vulgò *Dionyſianum* appellatum, adhiberi cepiſſe, tum ob immenſum Redemptionis Humanæ beneficium; tum ad abolendum uſum numerandi annos ab Imperio Diocletiani, qui, uti aſſumpto, unâ cum Imperii habenis, cognomine *Iovii*, non diu poſt *Dominum* ſe vocari palàm, & tanquam Deum coli paſſus fuerat, ita & circa publicum temporis computum, ùt benè

bene advertit Illuſtriſſimus Spondanus ex Eminentiſ. Baronio *ad* An. C. 527. *num.* 8. præfatam numerandi rationem lege induxerat: quam averſata quoque Eccleſia Alexandrina cum univerſa Ægypto, illud præſtitit, ut obſervatam paſſim à Græcis calculatoribus chronologiam non à Diocletiano, ſed à tempore Martyrum, qui ſub hujus Tyranni perſecutione mortem glorioſam obierant, derivaret: unde & annus Diocletiani *annus gratiæ* & *miſericordiæ* in Eccleſia Æthiopica dictus fuit, ùt conſtat ex Scaligero *lib. 7. de emend. temp.* non ab adventu Chriſti juxta computum Dionyſianum in partibus illis nunquam receptum; ſed à tempore dicti ſolennis Martyrii: quem uſum ibidem vigere etiamnum, produnt *Epiſtolæ* Ameræ Gabrielis Patriarchæ Alexandrini ad Clementem VIII. & Joannnis Comus Chorepiſcopi Alexandrini apud Eminentiſſimum Baronium *in hiſt. legat. Alexan. ad Clemen. P. VIII.*

*VIII. in append. Tom. VI. Annal.* & Codices Coptarabici, in quibus libri Pentatevchi epiſtolæ S. Pauli & Canonicæ, & actus Apoſtolorum continentur. Quis autem ex SS. Pontificibus omnium primus notandæ Incarnationis Dominicæ in fine litterarum principium fecerit, non planè liquet, nec aliud hac de re ſecurè dici poſſe videtur, niſi quòd hic annus non quidem à Pelagiano II. ùt malè ponitur in conficta quadam epiſtola ad Joannem CPnum apud P. Labbæum *in noviſſima Conciliorum editione*, ſed aliquamdiu pòſt ab Honorio anno 633 à Joanne XIII. annis *969.* & *971.* tum à Leone IX. aliiſque poſt hunc Romanis Pontificibus ſæpè adſcriptus reperiatur: ad quem Curiæ ſtylum ſe refert Eugenius IV. quando Incarnationis Dominicæ annos litteris SS. Pontificum juſſit adſcribi. Ubi tamen hodie notandum eſt diſcrimen inter ſtylum Cancellariæ Apoſtolicæ, & Secretariæ Brevium: qua-

rum

rum illa computationem anni à 25. Martii, hæc à prima die Januarii in datis litterarum deſumit: quanquam etiam prior ſæpiùs annum Incarnationis cum Anno Nativitatis confundat; ita ut moderno tempore, quoad annum Datarum in tribus litteralium Papalium expeditionibus, ſervire pro regula valeat, quòd *Bullæ* numerent annos ab Incarnatione; *Brevia* ſimpliciter ita terminentur: *Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, milleſimo, ſexcenteſimo, octuageſimo nono, Pontificatûs noſtri anno 13.* denique litteræ privatæ annos Domini compendio deſignent.

38. III. Ultra diem menſis, & Annum Chriſti, poſt Romam à jure Græcorum avulſam, annus Pontificatûs quoque à nonnullis ſubindè Pontificibus Romanis, unâ cum, vel ſine tempore regnantis Imperatoris, pariter in fine literarum Papalium expreſſus fuit, & cum ea quidem cautela, ut

dictio-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dictiones numerales ante Calendas, Nonas &c. per litteras & ſyllabas extensè ſcriberentur, ne facilè fraudi locus foret. Incipit autem Annus Pontificatûs à die Conſecrationis & Coronationis ex dictis *nu.* 16. de conſuetudine eorundem Pontificum, qui non niſi ab eo tempore *annum ſui Pontificatûs* adſcribunt. Quis autem, ex SS. Pontificibus hâc formulâ notandi An. Pontificatûs ſui primùm uſus fuerit, aut ab aliis nomine ſuo ſcribentibus eum adnotari juſſerit, ſimiliter non planè perſpectum eſt: & inter primos extitiſſe Leonem III. oſtendit *ejus ad Carolum M. epiſtola* 2. de privilegio conceſſo Capellæ & Fratribus inibi ad Chriſti ſervitium adunatis in monte Eresburg in Saxonia, cujus Data apud Severinum Binium *Tom. 6. Concil. general. fol. m.* 205. his verbis concepta reperitur: *Dat. Ereſburg per manus Ioannis Bibliothecarii & Cancellarii Eccleſiæ Romanæ, Sept. Kal. Ianuarii, Anno Domini*

*Leo-*

*Leonis III. quarto, Indictione ſeptimâ; die dedicationis Capellæ in Eresburg,* quo anno, ſcil. An. Chriſt. 799. Anaſtaſius Bibliothecarius Leonem III. cum multis Clericis Romanis & Primatibus Civitatum, profectum ait ad Carolum Magnum *in hiſt. de vitis Rom. Pontif.* & Baronius *ad eundem Annum* 799. Illum à Carolo Paderbornæ honorificentiſſimè ſuſceptum affirmat. Porrò Gregorius V. Othonis III. Imperatoris conſanguineus Othonis Saxonum Ducis Filius *epiſtola* 2. ad Herbertum Archiepiſcopum Ravennatem edita ab Ugellio *in Italia ſacra , poſt undecimum Pontificatûs ſui annum expreſſum*; hanc clauſulam adjici fecit: *Imperante D. Othone III. à Deo coronato magno & pacifico Imperatore, &c.* Verùm quando Pontifex in Data de ſe ipſo loquitur , câ, quâ Gregorius XIV. formulâ uti ſolet, cujus rei exemplum ab antiquo celebre privilegium illud ſuppeditat , quod Rogerio Siciliæ Comiti, ejuſque here-

heredibus ab Urbano II. Salerni conceſſum aſſeritur: *datum Salerni per manus Ioannis S. R. E. Diaconi, Tertio Nonas Iulii, Indictione ſeptimâ, Anno Pontificatûs noſtri undecimo*: ubi tamen, cùm Annus Chriſti 1097. conſignatus fuerit indictione quintâ, & Sedis Urbani Anno decimo, vitium deſcriptionis irrepſiſſe neceſſe eſt, prout in Diplomatibus vetuſtate exeſis fieri non rarò conſuevit. Et in Pontificibus Romanis hoc ſpeciale advertitur, quod in pleriſque eorum Bullis nulla ipſorum ſubſcriptio reperiatur, niſi quandò eorum literæ in Epiſcopali Synodo ſignabantur, maximè à tempore Urbani II. uſi hac formulâ: *Ego N. Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi*: qui uſus etiam hodie in Bullis ſolemniter ſignatis ſervatur.

39. Quamvis porrò nonnulli DD. apud Dianam coordinatum *tract*. 1. *de immunit. Eccleſ. reſolut* 23. 60. & 81. contendant, hanc Bullam Gregorianam, *in Hiſpaniis* uſu reçeptam non

eſſe

eſſe: idemque de *Luſitania* teſtetur Curtellus apud Del Bene *de immunit. c.16. dub.40. ſect. 2. nu. 3.* imò (ùt nihil hic dicam de ſereniſſima *Venetorum* Republica, cujus differentias ſuper immunitate cum S. Sede Apoſtolicâ habitas hoc loco referre non placet) de Regno *Galliæ* ex Cabaſſutio *in Notit. Eccleſ. Conciliorum ad Con. Arauſican. can. 5. §. 7.* Edictis Franciſci I. An. *1529. art. 166.* & Henrici III. An. 1585. cautum eſſe, ùt Rei criminum, contra quos Judex laicus capturam decrevit, ibi hoc perfugio careant, & ex locis ſacris vi abducantur: avita tamen *Majorum noſtrorum* erga S. Sedem Apoſtolicam magiſtram ac ac matrem ſuam devotio, quam ſpecialiter in Synodo An. Chr. 742. habita conteſtati ſunt verbis à S. Bonifacio Germanicæ gentis noſtræ Apoſtolo *in epiſt. 105. ad Gudbert. Epiſc. Dorovern.* expreſſis: *Decrevimus in noſtro ſynodali Conventu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam, & unitatem, & ſubje-*

*ctionem*

*ctionem Rom. Eccleſiæ fine tenus vitæ noſtra velle ſervare S. Petro &c. & per omnia præcepta Petri canonicè ſequi deſiderare, ut inter oves ſibi commendatas numeremur: & ipſi confeſſioni universi conſenſimus, & ſubſcripſimus, & ad corpus S. Petri Principis Apoſtolorū direximus. Idem de Germanis* aſſeverare non ſinit, quorum Eccleſiaſtici Principes in locis utrique juriſdictioni ſuæ, ſpirituali pariter ac temporali, ſubjectis Bullam Gregorianam, etſi non ſpecialiter in his partibus publicatam, cùm ex dictis *nu.* 30. *& ſequen.* ejus publicatio Romæ facta ad afficiendos omnes & ſingulos, quos concernit & concernet in futurum, juxta expreſſam Gregorii Conditoris mentem, ſufficiat, exactè obſervant: eandemq; defun. nuper Sereniſ. Elector Archiepiſcopus Colonienſis Maximilianus Henricus in Decretis & ſtatutis Synodi ſuæ Colonienſ. An. Chriſti 1662 habitæ *par.* 3. *de ſtatu perſon. tit.* 3. *c.* 4. §. 5. *& ſeqq.* inviolatè ubivis obſervari præcepit.

40. Quo ad Principes deinde ſeculares, Electoratûs Bavarici & Superioris Palatinatûs praxis oſtendit, quantam ſereniſſima Domus Electoralis Bavarica reverentiam Templis & Locis ſacris juxta Bullæ Gregorianæ tenorem, atque Canones eâ priores, continuò deferat. Quâ in re cùm non cedat hereditaria Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ pietas, ac religiosâ imitatione tum ſereniſſima Domus Electoralis Palatina, tum ſereniſſima Badenſ. & quæ noviſſimè ad S. Matris Eccleſiæ ſinũ rediêrunt, non minus honoris atq; reſpectûs ædibus Deo dicatis exhibeant: Si quid in Germania difficultatis unquam exoriatur, id vel ſcholaſticis & arenariis, quorundam crudo vocum cortici inhærentium, intimaſque juris ac intentionis Pontificiæ rationes non penetrantium interpretationibus, vel indiſcreto nonnullorum ſive Eccleſiaſticorum, ſive Regularium zelo plerumque tribuendum videtur, qui non perpenſo



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

æquâ lance favore tum immunitatis, tum diſciplinæ Chriſtianæ, ac publicæ quietis, ùt notat Emin. de Luca *in ſuo Epiſc. pract. c. 22. nu. 7.* immunitatem ad caſus non comprehenſos extendere conantur, bonumque privatum facinoroſi hominis publico utriuſque Reipublicæ bono ſubindè præponunt: imò non raró, cum opprobrio habitûs Regularis, cucullant ſceleratos, aut ſuperinjectâ muliebri veſte in alterum quaſi ſexum, non ſine gravi præjudicio læſæ partis, tranſformant: de quo fœdo abuſu, & ejuſdem antidoto quoniam infrà *nu.* 152. *& ſeqq.* ſpeciatim acturi ſumus, hìc ſolùm adverto: cùm Conſtantinus M. & alii, poſt hunc, Principes ſupremi motivo Religionis, ùt mox oſtendam, inducti ceſſerint jure abſtrahendi, ſine authoritate Eccleſiæ, ex hujus ſinu confugas quorumlibet ſcelerum reos: non eſſe in illorum poteſtate, ut, invito Chriſti Vicario, dicatorum Deo jurium Cuſtode, ac in terris viſi-

bili vindice, quoquo prætextu à facta ſemel abdicatione ſeu in totum, ſeu pro parte recedant: quorum contrariis auſibus ſicubi S. Pontifex ad vitandum majus malum, haud apertè reſiſtit, ejuſmodi tolerantia non eſt approbativa; ſed tantùm ſcandali declinativa *cap. cùm jam dudum 18. ẍ. de præben.* extatque Bulla ſpecialis Urbani VIII. incipiens: *Rom. Pontifex 5. Iunii* 1641. damnantis omnia præjudicialia immunitati Eccleſiæ etiam ſub prætextu, quòd Bullæ Pontificiæ non fuerint publicatæ, vel uſu non receptæ, aut contrario uſu abrogatæ.

## DISSERTATIO II.

*De origine & uſu generali Iuris Aſylorum, ejuſdemque introducendi motivis, ac mediis idipſum ſtabiliter conſervandi: & de ultione Divina in hoc ſæculo contra immunitatis Eccleſiaſticæ violatores.*

*41. ETymologia immunitatis & Aſyli. 42. Moyſes*

42. *Moyſes anterior ſcriptoribus cæteris, quorum opera modò comperta ſunt, Aſyli uſum, ante legem ſcriptam, ceu privilegium Altaribus, ex inſtinctu naturæ rationalis, conveniens, ſupponere videtur.*

43. *Securitas hominum ad Aras confugientium apud Ethnicos promanavit ab impulſu Religionis.*

44. *Verſus Statii de origine ſacri Aſyli.*

45. *Reflexiones ad eoſdem verſus ex S. Scriptura, & ratione naturali.*

46. *Religio gentilium erga Templa, & res tutelæ gratiâ iis illatas: ubi de evocatione Deorum ex Urbibus obſeſſis.*

47. *Primum Romanorum Aſylum, per ſpeciem pietatis erga Deum, conſtitutum: ædes flaminis Dialis apud eoſdem immunes: & de ſtatuis ac imaginibus Imperatorum.*

48. *Moderatio juris Aſylorum in Græcia, & confugii ad ſtatuas vel imagines, non officit convenientiæ immunitatis localis.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

49. *Immunitas ædium Legatorum à templis olim in eas derivata.*
50. *Civitates Refugii Hebræorum.*
51. *Amplitudo Iuris Aſyli ad Altari Iudæorum.*
52. *Immunitas Excelſorum, ante conſtructionem templi Hieroſolymitani.*
53. *Quibus Hieroſolymitani Templi partibus competierit jus Aſyli.*
54 *De prærogativis Atrii gentilium & Iudæorum ſeu profani à Chriſto vindicatis.*
55. *Argumentum à ſacro Aſylo gentilium & Iudæorum, ad Eccleſias novæ legis tanquam loca veræ ſanctificationis noſtræ.*
56. *Quando Chriſtiani primùm frui cœperint immunitate locali? ubi ( actis S. Sylveſtri facientibus Conſtantinum M. introductorem S. Aſyli.*
57. *Diverſæ congruentiæ proſtabiliendo ac fovendo jure S. Aſyli: & incidenter de denegata olim reconciliatio*

tion

*tione in mortis anguſtiis primùm petita.*

58. *Diſcurſus ex Epiſt.* 54. S. *Auguſtini de venia graviſſimorum criminum reis ſubſpe agenda per eos de commiſſis pœnitentiæ procuranda: & quid de impœnitentibus?*

59. *In ſimilibus raro cum laica poteſtate nimis imperioſè agendum.*

60. 61. 62. *Quid olim ſinguli Imperatores decreverint in favorem S. Aſyli.*

63. *Localis Eccleſiarum immunitas non eſt propriè ac ſtrictè juris naturalis, nec divini: ſed poſitivi Eccleſiaſtici & civilis.*

64. *Intellectus* C. Frater. 10 XVII. q 4.

65. *Senſus Caroli M. & Germanicæ nationis A. C. 813. ubi quid hac de re ſcripſerit Layman.*

66. *Anacephalæoſis.*

67. *Origo Aſylorum à Religione, Charitate, & Clementia: & ſpecialiter de Charitate, ſeu honeſta commiſeratione.*

68. De objectiva honeſtate clementiæ ex reverentia erga Deum & communem naturam.

69. Pœnæ vel Talionis, vel prorſus ignobiles etiam in hac vita contra hujus immunitatis violatores divinitùs ſuſceptæ, & primò de pœna Talionis contra Eutropium Eunuchum.

70. Similis vindicta contra Stiliconem.

71. Contra Iudicis Aſſeſſorem in Ponto, & Andronicum, &c.

72. Verba S. Gregorii Nazianzeni de S. Aſylo.

73. Epitome Orationis S. Chryſoſtomi pro S. Immunitate locali.

74. Plaga Philiſtæorum, Ioas Regis, Antiochi, Herodis Aſcalonitæ, & Herodis Agrippæ.

75. Galerii Maximini.

76. Iuliani Præfecti Orientis.

77. Hunnerici Vandalorum Regis, & Imperatoris Arnulphi.

78. Incolarum Viciſtroed in Anglia.

79. Cle-

79. *Clerici exemplo ſuo reverentiam erga res ſacras in animis laicorum confirment, & quæ mala ex irregularitate noſtra naſcantur.*

80. *Dum Clerici temporalibus nimium inhiant, Laicos viciſſim inceſſit cupido ſpiritualia ſibi arrogandi.*

41. IMmunitas *l. munus 18. ff. de V. S. eſt vacatio ſeu libertas ab oneribus publicis, aliàs communibus, jure tributa*: & derivatur à *munere*, quod præter donum, nunc *onus*, nunc *officium* vel *honorem* ſignificat, *cit. l. 18. munus tribus modis dicitur, uno donum, altero onus, quod cùm remittitur, vacationem militiæ, munerisque præſtat, unde immunitas appellatur: tertio officium &c.* Hicque libertatem ab onere extradendi reos ad locum immunem confugientes, & jus ſeu facultatem in caſibus non exceptis protegendi eoſdem mediis licitis, niſi tales ultrò exire velint, importat: diciturque *Aſylum* vel ab Hebraica

 voce

voce *Azara* ſignificante *adjutorium*, unde *Azirū*, ac inde *Aſylū* profluxiſſe quidam exiſtimant: vel potiùs à Græco vocabulo ἄσυλον, *quaſi locus à violentia tutus*. Quamvis enim ſemper ac ubique in territorio delinquens capi, & ad pœnam authoritate publicâ trahi poſſit, quin ei vis injuſta inferri dicatur: imò ſi apparitoribus quempiam vinculis mancipare nitentibus violenter reſiſtatur, his opem præſentium invocantibus (quod priſco more fiebat apud Romanos per verba: *Quiritum fidem?*) quiſque teneatur aſſiſtere faciendo quod poteſt, clamando, turbam convocando, vel aliàs auxilium ferendo, per ea, quæ paſſim DD. ad *l. conſentaneum 8. v. vel ad cogendum eum. Cod. quomodo & quando judex.* ab hoc onere tamen ſeu obligatione pandendi oſtia, admittendi lictores vel milites, aut quomodolibet concurrendi ad capturam & abductionem confugarum, libera ſive immunia ſunt, jure ſpeciali pub-

blica

lica loca Deo dicata, à quibus delinquentes, ibi ſemel conſtituti, extra caſus ſpecialiter exceptos, nolentes avelli non poſſunt.

42. Cujus *Immunitatis* originem ut à temporibus, quibus res geſtæ, ſcripturis ac libris annotari ceperunt, ſecuriùs indagemus, præſciendum eſt, Moyſen haberi vulgò anteriorem quibuſcunque Scriptoribus, quorum opera modò comperta ſunt: prout apud Euſebium *lib.* 10. *præpar. Evan. cap.* 3. *de antiquit. Moyſis* luculentis Chaldæorum, Phœnicum, & Ægyptiorum teſtimoniis probare nititur Tatianus ex Philoſopho Platonico factus ſub S. Juſtino M. perſecutor gentilium, & Chriſti diſcipulus, ùt ùt poſtea præ nimio faſtu hæreſiarcha effectus: conſentiuntque poſt dictum Euſebium, Arnobium Afrum è Rhetore Chriſtianum, Theodoretum Cyri Epiſcopum, & alios veteres Ethnicorum oppugnatores, ferè plerique, totam Gentilium Theolo-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

giam ex ipſo Moyſe ac cæteris S Scripturæ documentis traxiſſe originem: in quibus licèt *urbes refugii* primùm anno quadrageſimo ab exitu Iſraelitarum de Ægypto *Num. 15.* authoritate divinâ ordinatas legamus: *Aſylum* tamen *Altaris Exod. 21. v. 14. ſi quis per induſtriam proximum occiderit, & per inſidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur.* Non tam introductum hoc loco, quàm ceu privilegium, ex inſtinctu naturæ rationalis, Altari Domini competens, & ante legem ſcriptam cum Altaribus ipſis pridem ſtabilitum, ſupponi videtur: quatenus divina benignitas hominibus hanc perſuaſionem naturali magiſterio indidit, par eſſe, ut diffuſis in hac lacrymarum valle terricolis quidam communis refugii locus ſuppeteret, ubi periclitantibus contra vim perſecutorum aut hoſtiũ tutis eſſe liceret, nonnullorumque delinquentium culpæ aliter, quàm per ultimum mortis ſupplicium, expiaren-

piarentur: & hoc in ſupremorum etiam Principum bonum, qui cùm ipſi quoque, in hoc mundo volubili, duobus imperioſis Numinibus, ùt vocat Tragicus, *ſorti* ſcil. ac *morti*, & æquè, ac aliæ res creatæ vanitati, id eſt, mutabilitati *Rom.* 8 *v.* 20 ſubjecti ſint, prout exempla non pauca commonſtrant, ſeque coram Deo, ùt merè privatos, habeant: ad quod indicandum, Theodoſius junior, Dei templum ingreſſurus, *ex Actis Epheſini Concilii*, nec enſem, nec diadema Regiæ Majeſtatis inſigne eò intulit, neque cuſtodiam armatorum ſecum admiſit: mirum videri non debet, quòd tum naturalis pietatis in Deum ac religionis inſtinctu, tum propriæ ſalutis atque ſecuritatis gratiâ, pro quocunque poſſibili eventu, Aſyli jus in locis ejuſmodi, quæ omnipotentem Deum 2. *Machab.* 4. *v.* 39. cuſtodem haberent ac vindicem, authoritate Regiâ confirmârint.

 43. Sive

43. Sive autem Gentiles, quemadmodum *1. Machab. 3. v. 48.* ſacris Judæorum libris diverſimodè in manus ſuas delatis ad ſuperſtitiones & depromendam indè ſimilitudinem ſimulacrorum abuſi ſunt, ita in conſtruendis quoque Aſylis Religionem Iſraelitarum imitati fuerint apud Homerum vetuſtiorem ex iis Scriptoribus Ethnicis, quorum opera etiamnum ſuperſunt, *Odyſſ. l.* 15. ubi ad fugiendam Ulyſſis indignationem nonnulli *ad Aram Jovis* recurriſſe narrantur; ſive immunitatem certorum Altarium, tanquam dictamini reverentiæ naturalis erga Dei domum, & pietatis erga miſeros eò ſe recipientes conſentaneam, Iſraelitarum adinſtar, ex uniformi rectæ rationis impulſu in uſum deduxerint; ſive cum Pauſania *lib. 7.* Principium Aſyli Græcorum referamus ad Dodonæi Jovis oraculum Athenis ad Aram ſupplices (*Divûm quos jura tuentur*) ſacroſanctos ac inviolabiles eſſe jubentis; ſive deni-

denique à nepotibus Herculis in eadem urbe introductum aſſeramus cum aliis apud Alexandrum ab Alexan. *l. 3. genial. dier. cap.* 20. qui poſt avi mortem, timentes inſidias eorum, quos ille in vivis afflixerat, primi, ùt fert fama, Athenis, erecto *Miſericordiæ templo*, ſibi hoc adverſùs quæcunque mala præſidium aſſumpſiſſe dicuntur à Statio *l.* 12. *Thebaid.* Videmus ubique ſæpedictam ſecuritatem hominum ad Aras convolantium promanâſſe ab inſtinctu Religionis, & congenita univerſis perſuaſione de clementia Dei, confugas, ſuo recurſu ſe Deo tradentes ac veluti conſecrantes, ab humana perſecutione qualibet volentis immunes: quod quidem Statius *cit.* eleganter his Verſibus indicat:

44. *Urbe fuit mediâ nulli conceſſa potentum*
*Ara Deûm, mitis poſuit clementia ſedem.*

*Et*

*Et miſeri fecêre ſacram : ſine ſupplici nunquam*
*Illa novo, nullâ damnavit vota repulſâ :*
*Auditi, quicunque rogant: noctesque, dieſque*
*Ire datum , & ſolis Numen placare querelis.*
*Parca ſuperſtitio: non thurea flamma, nec altus*
*Accipitur ſanguis : lacrymis Altaria ſudant ,*
*Mæſtarumque ſuper libamina ſerta comarum*
*Pendent , & veſtes , mutatâ ſorte, relictæ.*
*Semper habet trepidos , ſemper locus horret egenis*
*Cœtibus, ignotæ tantùm felicibus Aræ.*
*Fama eſt, defeſſos acie poſt buſta paterni*
*Numinis , Herculeos ſedem fundâſſe nepotes.*
*Fama minor factis : ipſos nam credere dignum*

*Cœli-*

*Cœlicolas, tellus quibus hoſpita ſemper Athenæ,*
*Sic ſacrâſſe loco commune animantibus ægris*
*Confugium, unde procul ſtarent iræque, minæque,*
*Regnaque, & à juſtis fortuna recederet Aris.*
*Iam tunc innumeræ nôrant altaria gentes:*
*Huc bellis victi, patriâque è ſede fugati,*
*Regnorumque inopes, ſcelerumque errore nocentes*
*Conveniunt, pacemque rogant &c.*

45. Ubi Poeta *Clementiæ Divinæ* originem Aſylorum adſcribit: cujus nimirum exemplo *Ionæ* 4. *v.* 10. *&* 11. tum Reges ac Principes, tum quicunque homines inducerentur ad parcendum faciliùs miſeris, quos ſæva calamitas, ac ortum inde ad Aram confugium; meritò *ſacros* quodammodo efficit, & à violentia ſeu avulſione

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſione, ſeu inſecutione præſervat, quatenus præſertim talis miſerorum recurſus ad Aram, ſi cujus fortè criminis rei ſint, *mutatâ* (ùt canit Statius) *ſorte*, aliquam ejus deteſtationem, ſeriumque emendationis propoſitum continet, quibus cùm divina Bonitas ſinum non occludat, ac quoslibet ærumnarum fluctibus agitatos fiduciam in ſe reponentes, eo, quo ad bonum animæ proficit, modo clementer exaudiat, ùt S. Auguſtinus *Tract.* 13. *in Ioan. cap.* 8. *v.* 9. eleganter inſinuat, peccatumque damnet, non hominem converti volentem: tantò æquius videtur, ut iidem confugæ mortalium quoquè vindictam ſeu juſtam, ſeu injuſtam effugiant, *ſiqui montes excelſi cervis & petræ refugium herinaciis offerunt. Pſalm.* 103. *v.* 18. ipſis etiam hominibus quâcunque infelicitate jactatis, & per eam ſæpè ad Deum perductis, tutus quidam effugii locus præſto ſit, qui temporalem perſecutorum quorumvis aut vindi-

cum

cum iram, ac minas cohibeat, ipſaque Regna, ùt canit Statius, id eſt, poteſtatem Regiam, quæ adversùs Divinam erigi timet, procul ſtare jubeat, & quamlibet humani furoris aſperitatem avertat.

46. Nec in hoc Religio Gentilium ſubſtitit, qui etiam rebus in templa Deorum, cuſtodiæ causâ, illatis plenam ſecuritatem, ob reverentiam loci ſacri, competere rati, paſſim in templis Saturni, Jovis Capitolini, Dianæ, Pacis, Fidei, & Opis, depoſuêre pecunias, ut *ab injuſtis* Harpyiarum manibus tutiores exiſterent, Numinum Tutelarium metu, ſine quorum certa indignatione ac vindicta inde ſacrilegâ temeritate auferri non poſſent: quam eorum opinionẽ comprobatam cenſuit Aulus Gellius *l. 3. N. A. cap. 9.* calamitoſo illorum interitu, qui in expilatione templi Tholoſani aurum ibi repertum diripere non formidârunt, memoratque Homerus *Iliad.* 1. peſtẽ exercitui Græcorum

corum divinitùs immiſſam ob caprã, in Luco Dianæ paſcentem, ab Agamemnone ad loci ſanctitatem non reflectente, telo trajectam: & denique, ne quid ipſis etiam hoſtium Diis commiſſum Romani contrectare, aut infeſtare præſumerent, oppugnaturi quampiam Urbem, ad declinandam illorum inclementiam, & locum priùs à Religione liberandum, cenſuerunt, Deos indè evocandos eſſe certis carminibus & ad auguſtiores Romanas Sedes à Sacerdotibus invitandos: qui ne deſertis Aris ac ſedibus minùs auguſtis, ad ampliora Templa & ſolemniores Aras ab hoſtibus oblatas recederent, aut evocari poſſent, à multis Civitatibus Deorum ſuorum tutelarium nomina ſtudioſè occultata fuiſſe Alexander ab Alexan. *L. 6. Genial. dier. C. 4. obſervat.*

47. Tametſi porrò S. Auguſtinus *L.1.C.D.c.34.* verè Aſyli à Romulo in Urbe inter duos Lucos aperti finem procurandæ incolarum multitudini tribuat, quo quiſquis confugeret, cujusli-

juslibet ſceleris conſcius, inultum haberet commiſſum : eo nequaquam excluditur, quod Dionyſius Halicarnaſſeus *Roman. antiq. L.* 2. aſſerit, jus illud Aſyli, erecto ibidem pro recurrentibus Templo, *per ſpeciem pietatis erga Deum* conſtitutum, & alicui Deorum aut Geniorum, de cujus nomine nihil certi habuit, dicatum fuiſſe. Eſtque ſingulare, quantâ Religione, apud A. Gellium *L.* 10. *N. A. c.* 15. olim Romani vinctum, ſi Flaminis Dialis ædes introiiſſet, ſolvi quantocyus juſſerint, & vincula per impluvium in tegulas ſubduci, atque indè foràs in viam demitti. Et cùm Imperatores antiqui divinitatem affectare, vel ſaltem Deorum inſtar haberi velle cœpiſſent, Idem juris, ceu conſectarium quoddam, non modò templis eorum, ut Ælius Lampridius *in vita Heliogab.* ſcribit, ſed & Cæſarum ſtatuis novimus attributum *L. ſi Dominus* 2. *ff. de his qui ſunt ſui* L. *Quid ſit.* 17. §. *apud Labeonem* 12 *ff. de ædil. Edict.*

48. Nec

48. Nec obſtat, cùm Urbes Græcæ hoc præſidio abuterentur ad ſcelera, & Templa complerentur ſervorum peſſimis: imò tum Romæ, tum alibi quidam geſtarent imaginem Cæſaris, ut impunè quævis auderent, quòd Tiberius apud Tacit. *L.3. Annal.* Aſyla Græcorum, præter illud Æſculapii, in cujus æde ſacra Cives Romani *L. 4. Annal.* à trucidatione Regis Mithridatis præſervati fuerant, omnino ſuſtulerit: nec non Scto relato *L. Scto 38. ff. de injur.* cautum legatur, ne quis imaginem Imperatoris portaret in alterius invidiam: ſicut & *L. Capitolium: 28. §. ad ſtatuas 7. ff. de pœnis*, ne quis in cujuſquam injuriam ad ſtatuas vel imagines principum confugere attentaret: in quam rem Tacitus *cit.* refert memorabile dictum C. Ceſtii Senatoris: *principes quidem inſtar Deorum eſſe: ſed neque à Diis, niſi juſtas ſupplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium, àliavè urbis Templa perfugere, ut eo*

*ſubſi-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ſubſidio ad flagitia utatur &c.* Ita namque ſaluti confugarum, ex inſtinctu pietatis naturalis, tum apud bene moratos Gentiles, tum apud Hebræos olim conſultum fuit, ut enormiſſimis tamen quibuſdam criminibus nulla planè venia præſtita, nec erga reliquos omnis correctio omiſſa penitus fuerit, aut indulgentia ſine lachrymis (prout *ſuprà cit.* Statius loquitur) aliiſque vivi doloris ac pœnitentiæ ſignis conceſſa; cujuſmodi vindictæ ſeu pœnæ genus (quo ſcil. Reus ad animæ vitam, melioremque frugem reducitur) *cæteris paribus*, ex ipſo naturæ lumine deſiderabilius videri poteſt, quoties ad ſeriam illius converſionem profuturum ſperatur, quàm extremum ſupplicium, quod utì corpus in terris exanimat, ita ſæpiùs infelicem animam quoque in barathrum mortis æternæ detrudit.

49. Idem Juris ex eodem fonte nonnulli Palatiis Legatorum ſupremi cujuslibet Principis vindicant, qui

cum

cùm, teſte Plinio *l. 22. cap. 2. & l. 25. cap. 9.* Sacris cæremoniis deſignarentur, & ſagmina ſeu herbas Hoſtiarum cruore conſperſas in ſignum inviolabilitatis ferre ſolerent *l. ſanctum*, 8. *prin. ff. de* D. R. ac verè ſancti haberentur *l. fin. ff. de legation.* hoc eſt, ut Cicero 3. *in Verr.* loquitur, Divino pariter & humano præſidio, etiam inter hoſtes, vallati, meritò prærogativæ templorum publicis eorundem ædibus, quantum ad immunitatem localem, olim communicatæ conſpiciuntur: ſed & hodie, teſtibus Germonio *l. 3. de legat. Prin. & pop. cap. 14.* Friderico de Marſelaer. *lib. 2. de legat. diſſert. 5.* ac aliis, non quidem ob conſecrationem Legatorum ſæcularium, ſed in reverentiã Principum, à quibus mittuntur, & quorum Majeſtatem atque imaginem referunt, tutiſſimum eſt, in eorundem domibus iniquè oppreſſorum, ac miſerabilium perſonarum perfugium, unde, invitis Legatis, ſalvâ publicâ hone-
ſtate,

ſtate, per vim abduci non poſſunt, dummodo Legati eam prudentiam ac moderationem adhibeant, ut receptaculum ſecuritate & miſeratione dignis duntaxat, non item quibuslibet ſceleratis concedant: quod Carolus Paſchalis *in ſuo Legato cap. 48.* his verbis confirmat: *Fateor, præcipuâ quâdam prærogativâ eſſe ædes Legatorum, quò nunquam intrandum, niſi reverenter ac permiſſu Domini: quem reſpectum uſque eò porrigi æquū eſt, ut, ſi quis calamitoſus, aut iniquâ vi oppreſſus, Legati ædibus utatur ùt perfugio, ne hunc indè domeſtica inhumanitas extrahat, quò eum humanitas peregrina excepit.* Quæ im̃unitas cùm nec ad reverentiam Dei pertineat, nec facinoroſos homines ad converſionem ſinceram ex ſe permoveat, imò potiùs eoſdem, niſi moderatus ſit ejus uſus, omnibus pœnis ſubducat, differt ab immunitate Altarium, quòd hæc à religionis & pietatis naturalis dictamine profluat; il-

ſa verò merus generoſitatis Principis Legatum recipientis effectus ſit hodie, adeoque varios, pro varietate Principum, latitudinis gradus habeat, ac pro diverſitate Regnorum diverſa reperiatur.

50. In Hebræorum quoque Rep. ex quadraginta octo urbibus ad Levitarum habitationem conceſſis à Deo *Num.* 35. cis & ultra Jordanem ſex civitates refugii, in Aſylum eorum tum Iſraelitarum, tum Proſelytorum, qui non animo deliberato, ſed nolentes vel caſu quopiam perpetrârant homicidium, eâ ratione adversùs occiſi cognatos, ab Hebræis *Redemptores* dictos (quibus *Num.* 35. *v.* 19. permiſſum erat ad expiandam propinqui ſui cædem, ejus occiſorem ubicunque repertum, abſque alia Judicis condemnatione, ſtatim interficere) conſtitutas legimus, ut recipiendus ante portam ejuſmodi civitatis *Ioſue* 20. *v.* 4. coram ſenioribus innocentiam ſuam prædoceret

quodammodo, antequam admitteretur, non aliter ne deinde quidem tutus ibi futurus, niſi verè diluiſſet crimen in diſceptatione cauſæ capitalis: adeò ut, ſi confugam homicidii voluntariè, non ignoranter, nec caſu, nec ad neceſſariam ſui defenſionem perpetrati, judicialiter convinci contigerit, hic interfecti propinquis, ad necem ipſorum duritici permiſſam tradendus: quantumlibet autem ob ignorantiam debitè probatam innocens, ac talis à Judice declaratus, ad ſummi Sacerdotis obitum uſque in refugii loco velut exulare compulſus fuerit *verſ 22. & ſeq.* tum ut diuturnitate temporis mitigaretur ira cognatorum occiſi, qui, utpote Judæi plerumque erant vindictæ percupidi; tum ut Deus oſtenderet, quantùm abhorreret homicidia, ſi etiam involuntarios humani ſanguinis effuſores ita præciperet coarctari.

51. Amplioris verò aſyli jus, ſcilicet non pro involuntariis tantùm homici-

 mici-

micidis; ſed pro diverſorum quoque ſcelerum reis, modò non eſſent ob enormitatem aut irreparabilitatem excepta, ùt homicidia per induſtriam & inſidias, conveniſſe *Altari*, haud obſcurè *Exod. 21. verſ.* 14. *&* 3. *Reg. 2. verſ. 28. & ſeqq.* indicatur: ubi cùm per induſtriam inſidioſam occidens proximũ ſuũ ab Altari Divino avelli, & Joab tanquam ejuſmodi homicida Abneri & Amaſam, arrepto licèt intra tabernaculum cornu Altaris, occidi jubeatur, inferri poſſe videtur, Iſraelitis, ante hanc declarationem Divinam *Exodi* 21. factam, etiam in caſu talis homicidii aliquam penès Altare ſecuritatis ſpeciem è religione loci fuiſſe perſuaſam: oſtenditque Joab conjurationis particeps, poſt Adoniam per manum Banacæ, juſſu Regis Salomonis ad parandam regno quietem occiſum, fugiendo in tabernaculum Domini juxta Altare, repoſitâ in ſanctitate loci ſpe vitæ retinendæ, nec tam de commiſſis à ſe priùs

homi-

homicidiis velut *obliteratis*, quam de recentiſſimo perduellionis crimine ſollicitus, recurſum ad Altare gravium quoque delictorum reis, dummodo non eſſent de exceptis, ad impetrandam faciliùs veniam, juxta praxin tunc receptam, potuiſſe proficere: quem etiam Salomon, comperto ejus confugio, non ob crimen læſæ Majeſtatis, ſed decreto mortis jam à Davide *3. Reg. 2. verſ. 6.* lato inſiſtens ob homicidia præfata, tanquã non gaudentem jure ſacri Aſyli in ipſomet tabernaculo, unde noluerat egredi, *verſ. 31. & 32.* mandavit occidi.

52. Et hoc immunitatis jus, ob reverentiam Deo ac locis ei dicatis debitam, ante fabricam templi, in quo ſolo deinde ſacrificari ſibi juſſerat Dominus *Deutero. 16. verſ. 2.* competiiſſe ipſis etiam Hebræorum *Excelſis*, ſive Altaribus ſeorſim erectis in locis eminentibus ad hoſtias Deo vero immolandas, *Iudic. 6. v. 26, 1. Reg. 9.*

*verſ.* 12. *& ſeqq.* quamdiu ob inſtabilem Arcæ & tabernaculi manſionem, ad avertendum majus malum (ſcilicet tranſitum ad Excelſa gentilium) non obſtante Dei prohibitione *Levit.* 17. *v.* 3. *&* 4. juxta S. Auguſtinum *q.* 36. *in Iudic.* tolerata fuêre, ex eodem religionis inſtinctu cenſendum eſt. Poſt conſtructum verò templum, apud ſinceros Dei cultores Excelſa ſanctitatem ſuam ac reſultans indè privilegium immunitatis perdidiſſe oportet, utpote quæ tunc profanari confeſtim ac funditus everti debuiſſent à Regibus, ùt indicatur *Eccleſ.* 49. *v.* 5. magiſque eluceſcit ex eo, quod ulterior *Excelſorum* permiſſio 3. *Reg.* 15. *verſ.* 14. Aſæ, & 3. *Reg.* 22. *v.* 43. *&* 44. Joſaphato Regibus, tanquam præclaris cæteroquin earundem factis ac moribus indigna, graviter exprobretur à S Spiritu, eoſque inter meliores Judæ Reges (uti Davidem, Ezechiam, atque Joſiam) connumerari non ſinat: & quanquam Aſa

2. *Para-*

2. *Paralipom.* 14. *v.* 2. *&* 5. Joſaphat autem 2. *Paralip.* 17. *v.* 6. Altaria peregrini cultûs, lucóſque & Excelſa abſtuliſſe legantur, id de Excelſis omni tempore illicitis, ad Idolorum cultum erectis, ac veram à Deo Apoſtaſiam foventibus intelligi debet, in quæ graviſſimè ſemper detonuêre Prophetæ *Ierem.* 7. *verſ.* 31. *Ezech.* 6. *v.* 3. *Oſeæ* 10. *v.* 8. quæque *Amos* 7. *v.* 9. in Hebr. *Excelſa Iſaac*, hoc eſt, ùt vertunt LXX. *Altaria deriſionis, ſeu deridenda*, ob Idola à Judæis dicta *Aven*, quaſi *vana & ludicra* appellantur, nullámque prorſus ſanctificationem continent, nec inter fideles ullo honore, ſed vituperio, diſſipatione, ac quovis opprobrio digna ſunt: non de Excelſis Deo vero dicatis, quorum uſus, ob ingraveſcens gentiliſmi periculū, jam in Salomone 3. *Reg.* 3. *v.* 3. & multò magis poſt conſummatam templi fabricam improbatus, atque à prælaudatis Regibus Ezechia 4. *Reg.* 17. *verſ.* 4. &

Joſia *4. Reg. 23. v.* 8. planè ſublatus fuit: cùm priùs non quidem abſolutè Deo gratus, licitè tamen ab ipſo quoque Rege Davide, ùt obſervat Eſtius *annot. in Eccleſ. 49. verſ. 5.* permiſſus, & à ſanctis etiam viris pro Religioſo habitus, ac irreprehenſibiliter ad ſupremi Numinis honorem uſurpatus fuiſſet.

53. Cùmque plures templi Judaici partes fuerint, I. *Sanctum Sanctorum*, hoc eſt, intimum ejus penetrale, ubi aſſervabatur Arca fœderis unà cum Propitiatorio. II. *Sanctum ſive Sanctuarium*, quod intra ſe candelabrum ſepticeps, menſam duodecim panum propoſitionis, & Altare Thymiamatis Sancto Sanctorum obverſum continuit. III. *Atrium*, tum interius Sacerdotum ac Levitarum *Sancto* conterminum, marique Æneo ſeu labro, conchâ, & altari holocauſti inſtructum; tum exterius ampliſſimum, dictum *Laicorum*, ſeu *populi Iſrael*, atque per murum tres cubitos altum

altum ab interiore diſtinctum, pro Judæis tantummodo mundis utriuſque ſexûs, ad fundendas preces, verba legis audienda, & ſpectanda à populo ſacrificia, quod & *ſanctum ſeculare* vocabatur. IV. *Veſtibulum exterius* ſive *Atrium profanum*, vel *Atrium gentium*, ubi conſtructum erat Gazophylacium *Mar. 12. verſ. 41. Luc. 21. verſ. 1. & Ioan. 8. verſ. 20.* quòdque tum Judæi legaliter immundi, tum & alienigenæ gentes ingredi poterant &c. *De primis duabus templi partibus* nullus dubitandi locus relinquitur, cùm in *Sanctum Sanctorum* ſummo Pontifici duntaxat, & quidem unicâ ſolùm vice per annum, in die expiationis videlicet, *Levit. 16.* introire licuerit, & ſi quid in eo ſarciendum aut purgandum fuit, fabri vel artifices ad id adhibiti, ùt ſcribitur in *Midoth. c. 8.* arcæ cuidam incluſi, nihil, præter partes horum arte vel operâ indigentes, potuerint contueri. Et de *Sancto* pariter con-

ſtat, id aliis, quàm ſacerdotibus, prorſus inacceſſum fuiſſe, ipſumque nomen *Atrii Sacerdotum ac Levitarum* prodit, quòd quibuſcunque laicis hoc quoque impervium fuerit. Nec immunitati *utriuſque Atrii*, interioris Sacerdotum ac Levitarum, & exterioris Iſraëlitarum ulla difficultas obſtare poteſt, ſi conſideramus primò Tabulam ante cancellos *Atrii Judaeorum* appenſam cum lege litteris Græcis & latinis inciſa: *Omnis alienigena tranſiens in locum ſanctum moriatur*. Cujus legis uſum contra Gentiles Judæis etiam à Romanis permiſſum Titus Veſpaſiani Imperatoris filius illis exprobravit apud Joſephum *lib. 7. de bello, c. 4.* his verbis: *Nonne vos ſceleratiſſimi Cancello ſanctum locum protexiſtis, nonne litteris Græcis ac noſtris inciſas tabulas conſtituiſtis, quibus, ne ſepta cuiquam tranſgredi liceret, edicitur? nonne eos, qui tranſiiſſent, quamvis Romanus quis eſſet, vobis necare permiſimus?* unde

intel-

intelligitur illud *Actor.* 21. *verſ.* 28. *&*
*ſeqq.* cur adversùs S. Paulum conclamârint Judæi, eò quod, viſo Trophimo Epheſio in Civitate cum S. Paulo, exiſtimârint, Trophimum gentilem ab ipſo in Atrium Iſrael introductum, ſicque ſanctum locum violatum fuiſſe. Deinde cùm hoc *Atrium magnum* ab Hebræis *Azara*, id eſt, *adjutorii* nomen ex eo acceperit, quòd populus ibi Divinam opem implorans, eandem perſenſerit, notat Cornelius à Lapide ad 2. *Paralipom.* 4. *verſ.* 9. ibidem Aſylum, in hujus Adjutorii Divini exemplum, & fortè ex *Azar azinum*, ac indè, ùt etiam ſuprà *num.* 41. innui, Aſylum dici cœpiſſe. Sique 2. *Paralipom.* 23. *v.* 14. Jojada Pontifex Athaliam impiam Joas ſeptennis proclamati Regis aviã in Domini Templum ingreſſam extra ejus ſepta educi, & gladio foris interfici juſſit; tum *Act.* 21. *verſ.* 30. *& ſeq.* civitate contra S. Paulum commotâ, Judæi S. Paulum extraxerunt è templo:

plo: utrumque authoritate ſacerdotum contigit, qui & Athaliam, & Paulum immunitate indignos cenſentes, extractionem præceperunt, vel in ultimo caſu fortaſſe tumultuariè factam, poſteà ſaltem ratam habuerunt.

54. Quòd ſi verò *Atrio gentilium* (quò alienigenæ, & ex Iſraelitis ſecundùm eorum legem impuri, ad orandum convenire ſolebant) immunitas localis non competiit, tanquam loco quibuſcunque communi, & ne quidē nomine *ſancti* dignato: Chriſtus ipſe tamen reverentiam illi tantam exhiberi voluit, ut zelo divini honoris actus, tum initio prædicationis ſuæ *Ioan. 2. verſ* 14. tum ſub ejuſdem finem *Matth. 21. verſ.* 12. vendentes & ementes, ùt rectè conjicit Villalpandus *tom. 2. in Ezech. lib. 3. c. 9.* indè ejecerit, nec ſiverit illac, ceu per compendioſiorem viam ab hominibus è foro pecuario in urbem ſuperiorem, vel in Regiam Salomo-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nis tendentibus *Marci 11. v. 10. va* ſeu quamcunque ſupellectilem pro fanam deferri. Imo & ipſi Judæi, referente Joſepho *in lib. 6. de antiq. & bell.* ùt infra *nu. 74.* rurſum videbimus, aquilam auream magni ponderis ab Herode maximæ ſeu ſpecioſæ templi portæ impoſitam in primo hujus Atrii profani ingreſſu, veluti cum Religione loci, ùt ùt minimè Sancti, pugnantem, inde detractam, ſecuribus conciderunt.

55. Ex his inferre licet, quanti verum ſanctificationis noſtræ locum æſtimari deceat, juxta argumentum, quo S. Paulus 2. *Corin. 3. v. 7. & ſeqq.* utitur: *ſi miniſtratio mortis* (promulgatio legis antiquæ ſerviliter mortem comminantis) *literis deformata* (impreſſa ſeu inſculpta) *in lapidibus fuit in gloria* (valde glorioſa) *ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultûs ejus, quæ evacuatur* (deſerendo Moyſen poſt obitum, ad ſignificandam deſitionem

gloriæ Legis veteris poſt novæ legis adventum) *quomodo non magis miniſtratio ſpiritûs erit in gloria? nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt: multo magis abundat miniſterium Iuſtitiæ in gloria, &c.* ſique ex verbis *Aggæi* 2. *Veniet deſideratus cunctis gẽtibus* (Meſſias, ut hunc Aggæi locum à Talmudiſtis intelligi Galatinus *lib.* 4. *arcan. c* 9. oſtendit) *& implebo domum iſtam gloriâ, dicit Dominus exercituum .... major erit gloria domûs iſtius noviſſima* (Zorobabelis ab Herode poſtmodum amplificatæ) *plus quam prima* (à Salomone conſtructæ) rectè poſt alios deducit Barradius *to.* 1. *Commentar. in Concord. Evan. lib.* 3. *c.* 3. præcellentiam Templi ſecundi à Propheta prædictam è reali, quamvis haud continua, Meſſiæ præſentia in id redundâſſe, quatenus lignea Templi Arca 1. *Reg.* 4. dicta ab uxore Phineæ *gloria Iſraël*, velut umbra, ceſſerit Chriſto omnium Dei theſaurorum Arcæ viventi, & *vera*, ut ait Simeon *Luc.*

*Luc.* 1. *v.* 32. *gloria plebis Iſraël*: Multò major eſt noſtrorum hodie Templorum gloria, ac major iis idcircò deferenda reverentia, in quibus ſub aſſervato in iiſdem Euchariſtiæ Sacramento verſatur jugiter Chriſtus ad ſanctificationem noſtram, & ad veram cum Deo conciliationem.

*56.* Quod Conſtantinum M. Imperatorem, pace per ipſum Eccleſiæ redditâ impulit, ut poſt exortam ſibi veræ fidei lucem, inter alias leges in bonum orthodoxæ fidei & Eccleſiæ latas, lege quintâ, non minore in ſacratiſſimas Dei vivi Baſilicas ſtudio, confugis ad Eccleſias immunitatem æquè, ac olim Gentiles atque Judæi, conceſſerit, ſicut in Actis S. Sylveſtri apud Eminentiſſimum Baronium *ad A. C. 324.* legitur: quæ ſi fortaſsè quis apocrypha, ſeu depravata nunc ſaltē eſſe, objiciat, hîc obiter innuo, eadem ad vindicandum Sanctarum Imaginum cultum *in epiſt. ad Conſtan. & Iren.* ab Adriano I. fuiſſe laudata, teſtarique

ſtarique Gelaſium P. *in Decr. de lib. authen.* ea à multis Catholicis tum Romæ, tum in aliis locis evolvi: & quanquam cum Baronio concedamus, aliqua minus ſincera tractu temporis irrepſiſſe, non tamen ita uſquequaque adulteranda cenſenda ſunt, ut nihil in iis veri contineatur: idque tantò magis, quo ad rem præſentem, quòd Concilium Aurelianenſe I. celebratum A. C. 511. relatum *c. Id conſtituimus 36. XVII. q. 4.* hanc Eccleſiarum immunitatem non ſolùm Canonibus ſacris, ſed & *Legi Romanæ* adſcripſerit: quæ Lex cùm præceſſerit tempus Arcadii, à quo ſuaſu Eutropii præpotentis Eunuchi contra Pentadiam in Aſylo Eccleſiæ conſtitutam, per legem contrariam circa A. C. 398. abrogata legitur apud S. Chryſoſtomum *oratione in Eutrop. CPoli pro reintegrando jure ſacri Aſyli coram Populo habitâ*, nec alia poſſit oſtendi, quàm cujus veſtigia ſuperſunt in *Actis præfatis*: meritò hæc gloria piiſſimo Impera-

Imperatori Conſtantino M. aſſeritur, de cujus reverentia ampliore erga Dominicas ædes, juxta illius temporis morem ab Optato Milevitano *lib. 4.* expoſitum refert Euſebius *lib. 4. ejus vita*, Religioſiſſimum Principem, ſub prolixa diſputatione de ſepulchro Chriſti in ſacris ædibus peracta, multoties licet rogatum, ut ſe reclinaret in Imperiali ſolio ad hunc finem eò illato, manſiſſe unà cum Auditorum cœtu ſemper erectum, ac reſpondiſſe demum auſteriore vultu: *nefas eſſe, inſtitutis de Deo diſputationibus negligentes aures præbere, ſibique hoc eſſe in primis utile, præſertim cùm pium ſit de Divinis rebus diſſerentes, erectos audire.* Qui ſi non ſolùm cæterorum fidelium inſtar, inter orandum (quo tempore *ſeſſionem* Tertullianus *lib. de orat. cap. 12.* jam antè in Chriſtianis ab Eccleſia improbatam aſſeruit) ſed etiam ſub diſputatione de rebus ſacris in Templo, pro ſua in locum ſpecialiter Deo dicatum religione, continuò à ſede abſtinuit: Quis non tanti Prin-

cipis

cipis zelum in eo quoque credat exe[illegible]
tum, ut, cùm Templa & bona Chri-
ſtianis ab Imperatoribus infenſis ab-
repta, edicto ſimili illi per Euſebium
*lib. 9. hiſtor. Eccleſ. c. 9.* relato, etiam
inſoluto pretio, juſſiſſet reſtitui, alia-
que pro honorificentiore Divini Nu-
minis cultu maximis ſumptibus con-
ſtrui, &, ùt habet idem Euſebius *lib. 9.*
*hiſt. c. 10. privilegia plurima detuliſſe*
*Eccleſiis*, eaſdem ab omni ſatellitum
incurſu, & ſeculari ſtrepitu immunes
reddiderit, in quibus ne quidem Ipſe
Orbis Dominus aliter ſibi, quàm pri-
vato cuilibet, comparendum putavit.
In cujus libertatis ſymbolum atque
memoriam S. Sylveſter primus inter
Romanos Pontifices cum tiara in
capite pingitur, prædefunctorum
imaginibus ſine capitis tegumento
expreſſis: ad ſignificandam, ùt aliqui
volunt, per aſſumptionem pilei, tunc
demum datam per Conſtantinum S.
Sylveſtro & Eccleſiæ publicam pa-
cem ac libertatem.

57. Et

57. Et hoc ex inſtinctu quodam Religionis naturalis, ac ingenita cunctis rectâ ratione utentibus perſuaſione de reverentia Deo exhibenda in locis ad Ejus cultum ſpecialiter conſecratis, in quibus confugæ Deum ſibi Propugnatorem adoptant, cenſenturque ſub Protectionis Divinæ clypeum recipi, ideoq; non immeritò ab Eccleſia contra extractionem non minus, quàm profanarum legum rigorem defendi: quamvis etiam ejuſmodi confugæ priùs in illam peccârint, aut qualecunque delictum non exceptum commiſerint: cùm Eccleſia, exemplo Chriſti pro crucifixoribus Patrem orantis, & juxta præceptum Ejuſdem, quotidianamq; profeſſionẽ noſtram expreſſam in Oratione Dominica, ſuos quoque perſecutores ad ſe recurrentes ſinu benigno excipiat, quoſque præſentibus ærumnis ac imminente periculo magis diſponendos ſperat ad pœnitentiam, hos Chriſtianæ charitatis impulſu ita ſupplicio

mortis

CI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mortis ſubtrahere conetur, ut, conceſſo iis Pœnitentiæ ſpatio, exuere possint omnibus malis, quibus infeliciter immerſi tenentur: qui, *poſt tuitionem Divini honoris*, alter aſſerendæ immunitatis Eccleſiaſticæ finis eſt, ut ſcilicet Confugæ liberentur ab infami morte, adeo periculoſa ſaluti animæ à pluribus credita, ut, referente Flodoardo *in hiſtor. Eccleſ. Remenſ. l. 4. c. 6.* alicubi in Gallia conſuetudo, reis ad ſupplicium capitale damnatis, tanquam ob brevitatem temporis, conſternationem nimiam, aliaſque rationes à S. Cypriano *epiſt. 52. ad Antonian.* S. Innocentio P. *epiſt. 3. c. 2.* & Concilio Arelatenſi I. *c. ult.* adductas, parùm vel nullatenus diſpoſitis, denegandi, etiam in exitu, reconciliationis gratiam, eoſque, juxta veteris ævi phraſin, *relinquendi miſericordiæ Dei*, uſque ad A. C. 1396. perſeverârit: non ob defectum poteſtatis Eccleſiæ, ùt volebant quidam hæretici; ſed ad deterrendos tanto rigore

gore fideles à lapſu & relapſu in publi-
ca crimina, & quòd conſideratis æquâ
mente anguſtiis, ad quas peccator in
extremis ita conſtitutus redigitur, in-
efficax tunc æſtimaretur, minùſve ſin-
cera, aut valde dubia, *Pœnitentia* pe-
riculo vicinæ necis extorta: prout e-
tiam ex S. Auguſtino *ſerm. 57. de
tempore* diſcimus: *pœnitentia, quæ ab
infirmo petitur, infirma eſt; pœniten-
tia, quæ à moriente tantùm petitur, ti-
meo, ne ipſa moriatur.*

58. Cujus S. Doctoris Eccleſiæ
ſenſus magis dilucidè continetur in
ſolidiſſimâ ejus *epiſtola 54.* ex parte
relata *c. non eſt iniquitatis 17. XXIII.
q. 5. c. In tantum 33. de pœniten. diſt. 3.
c. Peccatum. 4. de R. I. in 6.* ubi Ma-
cedonio interroganti exponit, quo-
modo in protectione Confugarum
& interventione pro quorumcunque
criminum reis, *Eccleſiæ Religio* ne-
quaquam offendat ſeu impugnet *Ju-
ſtitiam ſæculi*: quarum hæc ſi lauda-
biliter pro conſervanda tranquillita-
te

re publica, & temporali ſecuritate populi, contra ſceleratos gladium ſtringit: à Juſtitia longè ſublimiore, conjuncta, cum religione, atque indeſituræ hominum ſaluti proſpiciente, laudabiliùs impelli aſſerit Clericos, ut modeſtâ tuitione ac precibus ſuis, reos ab interitu temporali (cujus vel metus ipſos quoque malos coercet) ita conentur eripere, quò ſuperſtites, pœnitentiæ ſinceræ ſubjecti, abſtineant deinceps à quolibet crimine, ſimulque liberentur à morte æterna: maximè cùm morum corrigendorũ nullus alius, quàm in hac vita, ſit locus, adeòque timendum ſit, ne ſupplicium extremum adversùs criminoſos ſuſceptum, ſic vitam corporis finiat, ut minimè tamen vitium animæ auferat, imò potiùs abſciſſo correctionis ac pœnitentiæ tempore, in illiuſmodi anguſtiis vitioſum plerumque inemendatum ad ſuppliciũ ſempiternum detrudat. Ut proinde dubitari non poſſit, quin officium hoc

hoc charitatis pro reis interpoſitum apud homines, Divinæ Clementiæ viciſſim indigos, dictamini Religionis haud obviet, quòd non ſolùm ita jubeat Deus, ſed & ipſe, ob ſpem correctionis, ac reſipiſcentiæ, Solem ſuum ſuper bonos & malos oriri faciat, ac longanimitate ſuâ ad pœnitentiam complures adducat: nec augeantur idcircò hominum ſcelera, quos ſi malefactorum veraciter pœnitet, ea in ſe impunita eſſe non ſinunt: aut ſi quà fortè mala ſequantur per accidens, talia immeritò imputentur Eccleſiæ, quæ (ſi Deus iniquis & ſceleſtis, etiam quos novit non acturos pœnitentiam, tamen exhibet patientiam) multò magis miſericors eſſe debet in eos, qui correctionem, etſi nobis incertam, promittunt.

59. Dummodo vitentur extrema, ne reverà foveantur quorumdam ſcelera, cum ingenti damno tam publicæ, quàm privatæ juſtitiæ, nec defenſionis, vel reſpectivè interceſſionis

nis

nis modus ( de quali Arcadius *l. Addictos 7. C. de Epiſc. audien.* ) Religioſæ aut Clericalis modeſtiæ limites fortaſſis excedat, idque cum jactura ipſiuſmet Eccleſiæ, cujus nonnullorum quandoque Miniſtrorum zelus imprudens plùs obeſt, quàm plurium deinde obſequio, reverentiâ, & quantocunque ſtudio reparetur: ſiquidem conſtat, quamdin Eccleſiarum Antiſtites ſpiritu lenitatis Evangelicæ ducti, in hujuſmodi caſibus ùt Mediatores, Medici ſpirituales, Interceſſores, ac Patres, charitate Paſtorali, & deprecatione opportunâ pro infelicibus Confugis, reverentiam Deo debitam, fundatamque in ſpe correctionis & Chriſtianæ miſericordiæ veniam, ac illorum ſalutem æternam duntaxat; non certam quodammodo dominatûs imperioſi ſpeciem, ac ferè conculcationem authoritatis profanæ à ſe quæri monſtrârunt: Reges ac alios ſupremos mundi Principes, ſubalternoſque Magi-
ſtratus,

ſtratus, & Judices laicos, pietate quâdem filiali, ceſſiſſe non invitos ſanctitati modeſtorum Præſulum, ac velut imperio Paternæ charitatis, imò, ùt apud S. Aug. *ep. 53.* Macedonius loquitur, *quæ ſponte facere videri nolebant, ne remiſſio ſeveritatis alios armaret in crimina*, *optâſſe*, *bonis interceſſoribus relaxare, ut, quod libentes conceſſerant, ſalvâ ſeveritate judicii, alterius merito videretur indultum.*

60. Et Sic ſcimus Conſtantini M. legem de reis ad ſacram menſam confugientibus non offendendis, aureis illis Eccleſiæ ſeculis, adhuc ſub Theodoſio M. illibatam perſtitiſſe, ſub cujus Imperio cùm à quibuſdam Epiſcopis occultari ſubindè contigiſſet debitores in grave damnum creditorum, optimus hic Princeps *L. 1. C. Theod. de his, qui confug. ad Eccl.* extendit quadantenus privilegiũ ad obæratos hujuſmodi confugas, ita tamen (ne id in detrimentum alterius cederet) ut, aut illico extraderentur ab Epiſcopis; aut hi, ſi vellent, onus pro

iiſdem ſolvendi in ſe ſuſciperent: cujus legis rigore compulſus aliquando S. Auguſtinus, ùt infrà *n.* 108. videbimus, pro exolutione debiti civilis cujuſdam confugæ, Populo fideli collectam indixit: intemerato cæteroqui perſtante S. Altaris Aſylo apud fideles Principes, donec Eutropius Arcadio Imperatori author fuit, ut, occaſione Pentadiæ conjugis Timaſii Conſulis in Oaſin, locum inſigniter ſterilem, è quo nemo evadere poterat, deportati, Conſtitutionem impiiſſimam ederet, relatam *L. 2. C. Theod. eod. tit.* de confugis ab Eccleſia extrahendis: cujus Legis à ſe procuratæ ſævitiem primus in ſemetipſo expertus Eutropius, per S. Chryſoſtomum, de quo *n.* 73. ſervatus, Imperatorque ad abrogandam ejuſmodi legem, viſo judicii Divini exemplo, inductus fuit, connitente ad id plurimùm eodem S. Chryſoſtomo, non quidem oppoſitione importunâ, ſed efficaciter oſtensâ iniquitate Legis per Evnuchum ſuggeſtæ, humillimiſq; precibus ea de cauſa ad Imperatorem delatis. 61.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

61. Hoc eodem Eccleſiaſticæ humilitatis atque modeſtiæ ſpiritu acti Patres Africani A. C. 399. miſsâ ad Honorium Imperatorem Sacrâ legatione, contra nonnullos Eccleſiaſtici Aſyli temeratores, quorum Coryphæus Maſcezil à Stiliconis militibus præceps in flumen datus, Sacrilegii ſui pœnam meritò luerat, ſuperſtitibus ac inſultantibus iiſdem, quos dictus Maſcezil locis ſacris violenter extraxerat, confirmationem immunitatis localis Eccleſiæ exorârunt, adeò ut paulò pòſt Honorius & Theodoſius II per *L. Fideli 2. C de his, qui ad Eccl. confug.* ita ſtatuerint: *fideli, devotâque præceptione ſancimus, nemini licere ad ſacroſanctas Eccleſias confugientes abducere, ſub hac videlicet definitione, ut, ſi quiſquam contra hanc Legem venire tentaverit, ſciat ſe Majeſtatis crimine eſſe retinendũ.* Et hic idem Theodoſius II cùm à præpotentis cujuſdam viri ſervis, ob Heri ſævitiam, cum armis ad Altare confugientibus,

ac indè à Clericis ob turbationem Sa-
crorum nonnihil recedere juſſis, unus
ex Clericis interfectus, alterque malè
ſauciatus fuiſſet, per ſanctionem rela-
tam *L. Pateant. 3. C. eodem*, immuni-
tatem localem Eccleſiæ ad ejus extre-
mas uſque fores, quas populus pri-
mas ingreditur, protendi, & confugi-
entibus Aram ſalutis eſſe præcepit, *u
inter Templum*, quod parietum cinct
deſcripſerat, *& poſt loca publica, &
januas primas Eccleſiæ, quidquid fue-
rit interjacens ſive in cellulis, ſive i
domibus, hortulis, balneis, areis, atqu
porticibus, confugas interioris Templ
vice tueretur*: vetitâ inſuper confugi
armorum illatione.

62. Et quid denique circa A. Chr
466. in favorem immunitatis Eccle-
ſiaſticæ Leo Imperator, novo Sacr
Aſyli cœlitus protecti miraculo com-
motus, apud Emin. Card. Baronium
*ad hunc annum* ſanxerit, amplè exhi-
betur *L. Præſenti 6. C. eod.* quò curio-
ſum lectorem, ſtudio brevitatis re-
mitto

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mitto, & hic ſolùm obſervo, plurimi ſemper habitas fuiſſe etiam in Laicis prærogativas Eccleſiæ & authoritatis ſpiritualis, quamdiu ejus Miniſtri nihil ſibi contentioſiùs arrogârunt, ſanctéque converſantes in omnibus, oſtenderunt, ſi qua ipſis in Laicos & res temporales juriſdictio competat, eandem non aliò tendere quã ad animarũ ſalutem æternam: dum ex adverſo è Prælatis ſive olim, ſive in citerioribus ſeculis, ij maximè ſuccubuerunt temporali potentiæ qui alio ſpiritu ducti exercuerunt hanc authoritatem ſuam in rebus etiam civilibus ſibi permiſſis, *ùt poteſtatem*, non *ùt officium* Charitatis. Aptéque huc transferri poſſe videtur mos hodiernus ad declinandas convivarum de ſublimiore loco contentiones Viennæ receptus, ut quiſque ſe in menſa pro lubitu collocet, unde fit ut primæ ſedes fugiantur ab omnibus, & nemo non inferiorem gradum de induſtria occupet, dum nullus primum ùt ſibi jure com-

 pe-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

petentem affectat. Cujus rei optimè gnarus S. Gregorius M. etiam in caſu non profano pertinente ad Eccleſiam *in Regiſt. lib. 3 indict. 12. epiſt. 62. &* 65. conqueſturus de reſuſcitatâ per Mauritium Imperatorem injuſtâ lege Juliani Apoſtatæ: *ne quis miles, nondum expletâ militiâ, Monachus effici poſſet*: ejus iniquitatem *in citatis epiſtolis* è pluribus petitam capitibus, ſecreto & opportuno tempore, ac citra ſtrepitum, per Theodorum Medicum familiariùs Imperatori ſervientem non publicè per Reſponſalem ſuum Mauritio ſuggeri voluit, nec ſimpliciter eandem rejecit, ſed ita temperavit *lib. 7. indict. 1. epiſt.* 11. ut Imperatorem placandum & ſuaviter inducendum ſperârit.

63. Antequam verò ulteriùs procedam, libet hactenus dictis adjicere quanquam *localis Eccleſiarum immunitas* è Religione naturali verè dicatur deſcendere, illam tamen propriè non eſſe *juris naturalis*, ſicut nec *Di*-

*vin*

*vini*, ſed *poſitivi humani* : & quidem quoad rationem *Iuris naturalis*, ſeu prohibitivi ſeu præceptivi, cùm *l. veluti 2. ff. de J. & J.* Religio erga Deum non aliter eò referatur, quàm quoad æterna dogmata naturaliter hominibus inſita, nullis temporum vel mutationum vicibus obnoxia E. G quòd nihil cum honore Divino pugnans committendum, Deus ſummè diligendus, amor proximo ſecundùm Deum impertiendus ſit &c. quorum oppoſito jus naturale reſiſtit incommutabiliter, ita ut nullâ hominum lege vel conſuetudine, contrarium poſſit decerni: Clarum eſt, arbitrarios Religionis actus ùt vota, ſecuritatem confugientibus ad Templa conceſſam, dimiſſionem reorum extremi ſupplicii &c. (*qui ad majorem ſolùm facilitatem progrediendi in via Dei, honeſtatem, & decentiam, ampliuſque promerendam Dei miſericordiam, conferunt, ac ſimpliciter quidem naturæ conveniunt; verùm*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*non tam fundant ſtrictam obligationem formalem, quàm Conſilium aut congruentiam, ac debitum in eo ſenſu, quod quantiſcunque actibus ſummæ Dei excellentiæ proteſtativis non exhauriatur, nec adæquetur honori, quem Deus ob infinitatem abſolutiſſimæ perfectionis ſuæ à nobis exigere poteſt)* pertinere quidem aliquâ ratione ad legem naturæ, quatenus ipſam naturam ( à qua veluti optantur, ſive ut decentes hominem ratione præditum dictantur & approbantur) perficiunt, ac exquiſitum ingenitæ Religionis & charitatis proximi, ac reſpectivè clementiæ ſtudium indicant: non tamen præceptivè præſcribi à lege naturæ, prout lex dicitur, quæ ad omiſſionē prohibitorum, aut ad præceptorū obſervantiam verè obſtringit: niſi poſtquam Principes pro ſua in Deum & res Sacras reverentia, immunitatibus ſeu privilegiis Domui Divinæ conceſſis, omni ſe expoliârunt juriſdictionis uſu intra Templorum limites:

limites: quemadmodum ſimiliter in feſtis ob honorem Dei, ex eodem Religionis impulſu, ita ceſſandum ordinârunt ab omni Judiciorum forenſium ſtrepitu L. *ut in die* 2 L. *omnes* 6. L. *fin. C. de feriis* ut, quod contra fieret, omnibus modis irritum haberetur. Cujuſmodi ſeu extrahendi, ſeu reſpectivè judicandi authoritate in honorem Dei religiosè à ſe abdicatâ, quod priùs liberum, quanquam minùs decens fuiſſet, in neceſſitatem poſtea tranſiit L. *Incommodato* 17. §. *Sicut autem*, 3. *ff. commodati c. Quod ſemel* 21. *de* R. I *in* 6. locuſque factus eſt celebri dicto S. Auguſtini *epiſt.* 45. *Si nihil tale noviſſes* (abdicâſſes ex motivo Religionis) *minor tunc eſſes, non pejor* (non exhiberes Deo omnem reverentiam, valde laudabilem, at non tunc ſub peccato præceptam) *nunc autem tantò, quod abſit, miſerior, ſi fidem Deo fregeris, quantò beatior, ſi perſolveris.*

64. Et hinc innoteſcit ſenſus ver-

borũ Gelaſii P. *c. Frater* 10. *XVII. q.4*
aſſerentis, ne Poteſtatibus quidem,
vel Principibus unquam licuiſſe, ut
hominem inSanctuario conſtitutum,
reluctantem, reclamantemque vio-
lenter abſtraherent, ùt in acerbam
Religionis contumeliam Benenatus
& Maurus Civitatis Beneventanæ
municipes feciſſe dicebantur: Siqui-
dem ob ceſſionem juris ex motivoRe-
ligionis voluntariè factam in ſpatium
illud, quod ſanctuarium dicitur, Con-
ſtantinus M. ex dictis *nu. 56* ultrò ſi-
bi & ſucceſſoribus ſuis manus con-
ſtrinxit, peractâque ſemel renuntia-
tione præfatâ, & eâdẽ *Dei nomine* per
Eccleſiam acceptatâ, ſinèHujus annu-
tu circa homines in ſacris Aſylis con-
ſtitutos nihil illis ampliùs licuit, ſicut
glorioſiſſimi Imperatores Honorius
& Theodoſius *cit. L. Fideli 2. C. de his
qui ad Eccleſ.* ipſimet confeſſi ſunt, &
localem Eccleſiarum immunitatem,
ex inſtinctu Religionis ad majorẽDei
cul-

cultum introductā *fideli devotâq;* (ut eorū verba ſonant) *præceptione ſanxerunt*, id eſt, illam adjectā pœnarum interminatione, ex ejuſdem virtutis dictamine, magis cõmuniverunt definientes, *nemini licere ad SS. Eccleſias confugientes abducere* ſub pœna præſtituta crimini Majeſtatis.

65. Et ne quis forſan exiſtimet, aliud juris apud Germanos fuiſſe, is cogitet velim, translato ad inclytam hanc Nationem noſtram Imperio, ſequentia à Carolo M. primo Imperatore Germano *Capitular. lib. 5. cap. 9* relata *can. Reum 9. XVII. q. 4.* de unanimi voto Synodi mixtæ, ſeu ſacræ ſimul & Politicæ omnium Ordinum Congregationis A. C. 813. Moguntiæ ejus juſſu habitæ, contra quorundam temeritatem vel abuſum, reſtabilita fuiſſe: *Reum ad Eccleſiam confugientem nemo abſtrahere audeat, neque indè donare ad pœnam vel ad mortem: ut honor Dei & Sanctorum ejus conſervetur: ſed Rectores Eccleſia-*

*rum pacem & vitam , ac membra ejus obtinere* (non illum impœnitentem ac impunitum abducere) *ſtudeant : tamen legitimè componat , quod iniquè fecit.* Et hoc totum ſolidiſſimus *Layman lib. 4. Theol. moral. tract. 9. cap. 3. q. 1.* breviter his verbis complectitur : *Secundùm juris naturalis congruam æquitatem talis immunitas ſacratis locis conceſſa eſt : non enim id abſolutè præcipit lex naturalis , etiam ſuppoſitâ ſanctitate loci, quippe cui extractio malefactorum, quæ per ſe juſta eſt , haud repugnare videtur.* Qui cùm mox ſubjungat : *multò minùs lex poſitiva Evangelica talem immunitatem decrevit : quandoquidem Chriſtus ſupra legem naturæ ac fidei , nullas leges cæremoniales præſcripſit , niſi circa ritus Sacrificii , & Sacramentorum ; reliqua verò Eccleſiæ diſponenda reliquit* : & paulò ſuprà dixerit : *Licet probabilior ſit ſententia Covarruviæ, in lege veteri, præter civitates refugii, etiam ipſum Templum Hieroſolymitanum*

*num reis pro Aſylo conſtitutum fuiſſe: attamen lex illa Moſaica poſt Chriſti mortem, expiravit &c.* Cum eodem meritò concludendum eſt, *Immunitatem reis ad Eccleſiam confugientibus, ſecundùm congruam juris naturalis æquitatem, conſtitutam eſſe Legibus, tum civilibus Chriſtianorum Imperatorum; tum multò magis Canonicis ſtatutis, quibus etiam dictæ leges Civiles approbatæ & ſtabilitæ fuerunt, ſicuti conſtat ex cap. Inter alia 6. ibi: juxta ſacrorum ſtatuta Canonum, & traditiones legum civilium* X. *de immunit. Eccl. can. Id conſtituimus 36. ibi: quod Eccleſiaſtici Canones decreverunt, & lex Romana conſtituit* XVII. *quæſt.* 4. ex Concilio Aurelianenſi I. *can.* 3. & *can. Eos qui 6. diſt. 87.* ex Concilio Arauſicano I. *c.* 5. *eos, qui ad Eccleſiam confugerint, tradi non oportere; ſed loci ſacri reverentiâ & interceſſione defendi.* Cui hæc in parte poſt multos Caniſius *comment. ad lib. III. Decretal. tit.* 49. *n.* 10. Engel *ibid. nu.* 7.

Zoeſius *ad eund. lib. & tit. n. 6.*
que Scriptores utriuſque Germa
adſtipulantur.

66. Quare, ut paucis unive
hucuſque deducta perſtringam, c
teſte Senecâ *epiſt. 27. nunquam ni
dicatur*, quod (hoc potiſſimùm te
pore, quo ſubinde *Iliacos intra m
ros peccatur & extra*) *nunquam ſ
dicitur*: ne antiquum Sathanæ ſ
dium diffamandi Religionem, vel
exitioſam Politico Statui (ùt vide
eſt è vetuſtiſſimis Gentilium Impe
torum Edictis contra Chriſtianos i
circò emiſſis) rurſum in pectorib
nonnullorum minùs æquè de Cle
cis & Regularibus, ne dicam de Re
ligione, ſentientium, perſuaſione
ſiniſtram ex inferno enatam confi
met, oſtenſum eſt *ſuprà n. 43. & ſeq*
tantam ſemper, tum apud Hebræos,
tum apud Ethnicos, imò & ſub ipſ
lege naturæ (prælucente lumine,
quod cum natura in anima cujuſque
exoritur) invaluiſſe exiſtimationem

ſancti-

ſanctitatis Altarium, annexorumque iis templorum, ut vel profanum aliquid ibi admiſiſſe, criminoſum putaverint, & reverentiam Altaribus ac Templis, ſive potiùs Deo in conſervanda illorum immunitate exhibitam, ductui Religionis naturalis conformem, hominique ratione prædito maximè convenientem agnoverint, quatenus ob immenſitatem excellentiæ Dei, abſoluti Regnorum ac Statuum Domini, eorundemque diſpenſatoris atque pro libitu diſponentis de omnium vita ac nece, nullus omninò mortalium quantâcunque in humanis poteſtate ſæculari pollentium, quicquid ſpeciali Numinis tutelæ intra ejus Baſilicam, ſive ad ejuſdem Altare commiſſum eſt, propriâ authoritate contrectare præſumat.

67. Huic Religionis motivo communi accedunt alia duo, unum *Charitatis*, ſeu honeſtæ commiſerationis ex parte intercedentis Eccleſiæ; & alterum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

terum *Clementiæ* ex parte Principis aliquid remittentis de pœna , vel, ſi prudentiæ dictamen ita tulerit , veniam ex integro concedentis. Et quoad *primum* quidem , quicquid Manichæis ſublevationem alienæ miſeriæ inhoneſtam ducentibus , ac aliis quibuſdam omni humanitatis ſenſu deſtitutis ſecùs viſum fuerit , ipſa naturæ communio , & calamitas proximum affligens *per ſe ſpectata* incentivum eſt omnibus pro ſalute proximi deprecandi, verè dicente Lactãtio Firmiano *l.6.de Divin inſtit.c.10. ſummum inter ſe hominum vinculum eſſe, Humanitatem, quod qui dirupit, nefarius , & parricida exiſtimandus eſt: nam ſi ab uno homine , quem Deus finxit, omnes orimur, certè conſanguinei ſumus , & ideò maximum ſcelus putandum eſt , odiſſe hominem vel nocentem* : & paulò infrà ſubjungente : *Deus , quoniam pius eſt , animal nos voluit eſſe ſociale : itaque in aliis hominibus nos ipſos cogitare debemus. Non*

*mere-*

*meremur in periculo liberari, ſi non ſuccurrimus; non meremur auxilium, ſi negamus.* Quò reſpiciens S. Ambroſius *epiſt.* 17. Theodoſium Imperatorem conveniens, ut aboleret Reſcriptum de Synagoga quadam in partibus Orientis per Epiſcopum loci reſtauranda, ſic inchoavit epiſtolam: *Peto, ut patienter ſermonem meum audias, nam ſi indignus ſum, qui à Te audiar, indignus ſum, qui pro Te offeram, cui tua vota, tuas preces, committas. Ipſe ergo non audies eum, quem pro Te audiri velis? &c.* Multò magis autem ob adjunctum extremo ſupplicio damnationis æternæ periculum, Eccleſia, pio hujus declinandæ affectu, ſpatium pœnitendi juſtis precibus, fidelique Confugarum cuſtodiâ ita evincere nititur, ut, ſalvâ partis læſæ juſtitiâ (ſi præſertim delictum impetu Confugæ potiùs, aut fragilitate, quàm inolito peccandi habitu, vel deliberatâ voluntate commiſſum ſpem conſequendæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dæ ex integro veniæ præbeat ) à te
porali pœna ac morte liber , ſic i
poſterum ſecundùm ſpiritum viva
ne in æternam , unde nunquam lib
retur, incurrat : aut ſi gravitas cr
minis, ac publici boni periculum, a
cedente aſſenſu ipſiuſmet Eccleſia
non omnem omninò pœnam remi
ti expoſcat , vitæ ſaltem parcatur
membris : adeò quidem , ut etiam
conſignatione reorum , quibus o
delicta excepta immunitatem ſe
confugii jus Eccleſia denegat , pr
iiſdem ob cauſas hucuſque expo
ſitas, commune ſcilicet Humanitati
vinculum , fundatumque in eo com
miſerationis ſtudium , atque ut lo
cum agendæ de facinoribus ſuis apu
Deum pœnitentiæ habeant , inter-
ceſſionis officium non omittat : in
quo poſteriore caſu tamen Judicibu
laicis, ob non exactam ab ipſis cau-
tionem poſt Bullam Gregorianam,
ſi plus rigoris bonum publicum exi-
gat, liberior eſſe videtur repulſa: cùm
aliàs

aliàs viri clementes, licèt etiam reis nulla ſuffragetur excuſatio, plerumque mediatorum, maximè Sacerdotum precibus aliquid tribuant, & in caſibus quidem non exceptis, adjuncto Religionis dictamine, perſonarumque ſacrarum intercedentium merito plurimum deferre, vel ſaltem jura Confugii intacta ſervare teneantur.

68. Quoad *Clementiam* porrò, quis non objectivam ejus honeſtatem ex reverentia erga Deum & communem naturam agnoſcat, ubi præſertim rigore adhibito, æterna quoque ſalus puniendi in diſcrimen adducitur, & poſtquam ſupremi Principes religioſâ renuntiatione, contra ejuſmodi reos, quamdiu in Eccleſiis ſub Divinæ benignitatis præſidio conſtitutos, omni poteſtatis uſu ultrò ſe (verùm irrevocabiliter) abdicârunt, nec jus quæſitum Eccleſiæ, veluti rem Deo ſacram, eâ invitâ, citra ſacrilegium, ùt Imperatores Theodoſius & Valentinianus

nianus *cit. l. Pateant 3. C. de his qui ad Eccl. confug.* in verbis: *nec in extrahendos eos conetur quiſquam ſacrilegas manus immittere* ipſi loquuntur, tollere poſſunt: adeò ut, quamdiu immunitatis cuſtodes ſe intra honeſtatis & decentiæ limites continent, querela, ſicubi etiamnum aliqua in quorundam hominum animis supereſt, felix dicenda ſit, quando, caſtiſſimo juſtitiæ & pacis oſculo, legum profanarum ſeveritas Religione & clementiâ ſuperatur.

*69* Quantùm verò hic Religionis actus Deo acceptus & violatio templorum ac rerum ſacrarum eidem ingrata ſit, comprobant, aut talionis, aut ignobilium ſuppliciorum, ùt phthiriaſis ſeu morbi pedicularis, putrefactionis inteſtinorum foràs prominentium &c. pœnæ adversùs reverentiæ perſonis ac rebus ſibi peculiariter dicatis debitæ, & ſpeciatim immunitatis Eccleſiaſticæ violatores, juſto planè judicio, frequenter à Deo

in

in hac vita ſuſceptæ : ubi ut à pœna talionis incipiam, aboliti per Arcadium Juris Aſyli peſſimus Author *Eutropius*, primus ex Eunuchis in Oriente Conſul, paulò pòſt ob Eudoxiam Imperatricem offenſam, ſuſcitatamque contra ſe Imperatoris aulam atque militiam petitus ad necem, è Palatio in Eccleſiam priùs à ſe conculcatam avolare coactus, *captivo miſerabilior* (ut ait S. Chryſoſtomus *orat. in Eutrop.*) *ſervo vilior, omni reo deſpectior*, in loco, quem ſua ipſiuſmet impietas à Satellitum invaſione intutum reddiderat, quolibet momento carnificis ictum, juſto Dei judicio, timuit, abrogatâque licèt illicò per Arcadium, de confugio Eutropii edoctum, improbâ lege, univerſos adhuc ſibi graviter infeſtos, ſeque continuò minùs ſecurum perſenſit, donec altero die S. Chryſoſtomus ex ambone ſeu ſuggeſtu repreſſit impetum, ac perſecutores derelicti ab omnibus Confugæ, & in Aræ præſidio duntaxat

xat confiſi, eò tandem pertraxit, ut furore depulſo, effuſi in lacrymas atque viſcera miſericordiæ Chriſti induti, Imperatorem, præcedente jam die propriæ oblitum injuriæ, pro Eutropii ſalute rogaverint, nec ante eum ab Eccleſia, obſtante Beatiſſimo Antiſtite, abſtrahere permiſſi fuerint, quàm præſtito à Magiſtratibus de ſervanda eidem vita juramento: quo poſteà per cavillationem eluſo, quaſi CPoli duntaxat illi promiſſa fuiſſet ſecuritas, ùt ex Zoſimo refert Em. Baronius *ad A. C. 399* infelicem Eutropium aliò miſſum trucidârunt, & reſecto quidem ſecuri per manum carnificis capite, ùt Socrates *lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 5.* Sozomenus *lib. 8. c. 7.* Nicephorus *lib. 13 cap 4.* aſſeverant, in quorum ultimo hoc Epiphonema latinum è Claudiano ſubnexum reperio:

*Quàm bene diſpoſitum terris, ut dignus iniqui*

*Fructus*

*Fructus Conſilii primis Authoribus*
*inſtet:*
*Sic opifex Tauri, tormentorumque re-*
*pertor,*
*Qui funeſta novo fabricaverat ara do-*
*lori,*
*Primus inexpertum, Siculo cogente*
*Tyranno,*
*Senſit opus, docuitque ſuum mugire*
*juvencum, &c.*

70. Eandem Dei vindictam, ſub imperio ejuſdem Arcadii & Honorii, ac deinde Theodoſii II. adversùs Stiliconem, & milites ab eo miſſos ad Creſconium quendam, graviſſimorum licèt criminum Reum, Mediolani ab Eccleſia (quantumvis renitente incaſſum S. Ambroſio) per vim extrahendum, juſtè exercitam quoad milites quidem, oſtendit Paulinus *in vita S. Ambroſii*, qui ſtipato ante Altare Clericis homine hoſtiliter invaſo, captivoque ad carcerem ducto, indè ad ſpectandos in Circo ludos ſe con-

conferentes, à Leopardis è cavea dimiſſis (illæſis ſpectatoribus cæteris) ſæviſſimè dilaniati ſunt: Stilico autem primus facinoris author, ultione cognitâ, ſibi timens, tametſi non modò captivum S. Ambroſio interim ante Altare proſtrato reddiderit; verùm etiam ſe illi ſubjiciens, indictam ad multos dies pœnitentiam religioſe exegerit: ejuſmodi tamen ſatisfactione nondum contentus vindex Eccleſiæ Deus, poſt annos aliquot apud Em. Baronium *ad A. C.* 408. juxta mirum providentiæ ſuæ ordinem juſtè permiſit, ut Stilico perduellionis convictus, Ravennæ ad quærendam intempeſtâ nocte in Eccleſia ſalutem adactus, ac ſponte ſe dolo indè paſſus abduci, cùm extra templum ſub cuſtodia militum eſſe cœpiſſet, ab Heracliano ſublatus è medio animam infelicem efflârit.

71. Quibus plura inſuper alia Divini talionis exempla ſubjungi facilè poſſent, ùt illud apud S. Gregorium

Na-

Nazian. *Orat.* 10. ( *quæ eſt funebris in laudem S. Baſilii Magni Cæſar. Archiepiſcopi* ) de Judicis Aſſeſſore in Ponto, quem idem S. Baſilius, quamvis ab illo peſſimè habitus ob defenſam omni curâ viduam Jus Aſyli in ſacra menſa quærentem, à furore populi contra perſecutorem iniquum juſtè commoti, præſentiſſimoque mortis periculo vindicavit. Cujuſmodi quid etiam Syneſius Ptolemaidis in Pentapoli Ægypti Epiſcopus *in diverſis epiſtolis de Andronico* ejuſdem Provinciæ Præfecto commemorat, qui cùm ab Aſylo Menſæ quoslibet præſumpſiſſet excludere, ſacerdotibusque Dei, hæc improbantibus, duriſſima quæque intentans, in nefaria hæc verba impiiſſimè erumpere non formidâſſet, *quòd nullus effugere poſſet manus Andronici, quamvis ipſius Chriſti pedem teneret*: ac anathemate primùm, unà cum Thoante criminis ſocio, perculſus à Synodo A. C. 411. celebrata Ptolemai-

de, mox comprobante variis afflictio-
nibus juſtam Eccleſiæ cenſuram vin-
dice Deo, in graviſſimas calamitates
prolapſus fuiſſet: Syneſii tandem fa-
vore ac ope, ùt ipſe recenſet *in epiſto-
la ad Theophilũ Alexandriæ Antiſtitẽ
ſcripta*, legitur è funeſto Tribuna-
li, cæterarumque miſeriarum abyſſo
extractus. Verùm cùm iſta ad demon-
ſtrandam ſpecialem Dei curam pro
ſervanda ſacri Aſyli inviolabilitate
ſufficiant: verba autem ſanctorum
*Gregorii Nazianzeni & Ioannis Chry-
ſoſtomi* ferè totum, quod pro tuenda
& vindicanda locali Eccleſiarum im-
munitate dici vel inveniri uſpiam po-
teſt, contineant: prætermiſſis aliis, ea-
dem ex fontibus ipſis adduco.

72. Et S. Gregorius Nazianzenus
quidem *cit. orat.* 20. ſic ait: *Mulieri
cuidam ampliſſimo loco natæ, cujus
Maritus haud pridem extremo vitæ
die functus erat, Iudicis Aſſeſſor vim
afferebat, invitamque ad nuptias per-
trahebat: Illa autem cùm nullâ ratione*

*ban*

*hanc vim effugere poſſet, conſilium ca-
pt, non majoris audaciæ, quàm pru-
dentiæ plenum : ad ſacram etenim
Menſam confugit, Deumq́ adversùs
hanc injuriam propugnatorem ſibi ad-
optat. Quid faciendũ fuit, nõ dico Ma-
gno Baſilio, ac de his rebus aliis leges ſta-
tuenti; ſed alii cuipiam longè illo infe-
riori, dũ tamen ſacerdoti? Quid aliud,
niſi ut eam aſſereret, retineret, omni
curâ tueretur, Dei clementiæ & legi,
quæ Altaribus honorem haberi jubet,
manum porrigeret, omnia denique
priùs faceret, ac pateretur, quàm ut
inhumanius ullum adversùs eam con-
ſilium iniret, ſicque & Menſam ſacro-
ſanctam, & fidem etiam illam, cum
qua ſupplex erat, contumeliâ affice-
ret. Nequaquam, inquit novus Judex,
ſed omnes imperio meo cedere, ac Chri-
ſtianos leges ſuas prodere oportet. Ille
igitur ſupplicem depoſcebat: Hic omni
vi retinebat. Ille rurſum furore conci-
tatur, ac Magiſtratus quoſdam mit-
tit, qui ſancti viri cubiculum perſcru-*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tarentur ignominiæ causâ : nec eo contentus ipſum inſuper adeſſe, & cauſam dicere jubet, neque id placitè & humanè, ſed quaſi unum ex iis, qui capitis damnati ſunt &c. atque hîc mihi quæſo alterum perſecutoris & Athletæ certamen ſpecta. Pallium detrahi, & lacerari jubebat: at ille exuam præterea, ſi ita lubet, etiam tunicam. Cum, qui carnis expers erat, verberaturum ſe minabatur, corpus ſubmittebat. Ungulis laceraturum: at ille hujuſmodi, inquit, laniatione medicinam hepati afferes, magnoperè, ùt vides, me prementi. Atque hi quidem in his erant. Civitas autem ſimul atque hujuſmodi malum aç commune periculum reſcivit ( periculum enim ſuum quiſque ipſius contumeliam eſſe exiſtimabat ) tota furore corripitur, atque incenditur, ac velut fumo apum examen movente, certatim omnes cujuslibet generis, atque ætatis excitantur & exurgunt, ac præſertim armorum opifices, imperatoriique textores:*

*Uni-*

*Unicuiqueporrò teli loco erat , vel quod ars offerebat , vel quod in re præſenti tumultuariè confecerat &c. Quid multa ? pietatem omnes ita demum inter ſe partituros cenſebant, ſi ipſum dividerent ac diſcerperent : atque is majorem apud eos pietatis laudem habiturus videbatur, qui priùs in eum, qui tantum facinus aggreſſus eſſet, manum injeciſſet. Quid igitur audax ille & inſolens Iudex ; ſupplex erat, miſerabilis, calamitoſus, quovis homine dejectior, quoad in conſpectum prodiens ille Martyr , & ſine plagis victor, ac populum pudore correptum per vim retinens , ſupplicem ſuum & vexatorem à periculo vindicavit.*

73. At S. Chryſoſtomus *cit. orat. ad Eutrop.* ſparſim ita præclarè ad rem noſtram inquit : *nunc caſum tuum non perhorremus, nec deſerimus, ſed quantum poſſumus, ſublevamus: & Eccleſia quidem , quæ à te impugnata eſt, apertis te gremiis ſuis ſuſcipit. Eccleſia, quæ iram tuam & impetum fu-*

roris tui ſæpe perpeſſa eſt, ubiq; diſcur
rit, & ſatagit, & ex iſto te laqueo cona
tur eripere. Verũ hæc dicens, non inſult
lapſis, nec ſuperbo pede cervices jacen
tiũ calco, ſed eos, qui ſtare v dentur, ſo
licitos reddo &c. Quis hoc celſior vide
batur? &c. & ecce nunc infelix, (
proſtratus jacet, captivo miſerabilior
ſervo vilior, omni reo deſpectior, p
horas enim ſingulas imminere gladi
cervicibus ſuis, & inſtare carnific
videt &c. Non puto, me poſſe ul
ſermone explicare, quæ patitur: heſte
nus enim dies indicium fuit; cùm
eum ventum fuiſſet ex Palatio, & i
Sacrarium confugiſſet, quàm vult
ejus buxei coloris effectus, & nihil om
ninò à mortuo differens, tremor de
tium, mentumque demiſſum, interru
pta vox, lingua reſoluta. Et hæc di
cimus, non exprobrantes, neque in
ſultantes ruinæ ejus, ſed veſtram men
tem mollire cupientes, & ad miſericor
diam provocare, ut contenti jam ſit
cruciatibus ejus & effugiat à nobis pæ
na quam patitur: multi enim ſunt in

ve

ter nos crudeliùs agentes, & ſupplicia ejus ardentiùs ſitientes, qui etiam nos culpant, cur eum ſuſceperimus, & cur ei indulſerimus, ut ſacroſanctum Altare contingeret. Propterea ergo expoſui ſupplicia ejus, quæ, nullo inferente, perpetitur. Sed dic mihi frater, quid indignaris? propter hoc maximè, in quo oportet glorificare Deum, qui permiſit eum in id neceſſitatis adduci, ut per ipſum & virtus, quæ ineſt Ecleſiæ, & miſericordia noſceretur: virtus quidem ex eo, quòd impugnatorem ſuum ſupplicem videt, miſericordia verò ex eo, quòd impugnatorem ſuum ſupplicem, & ſub alis ſuis contegit, cujus dudum hoſtilia tela contempſit, pectus ſuum iracundiæ Regis opponit, furori plebis obſiſtit, & impugnari ſe gaudet pro eo, à quo expugnabatur. Iſta ſunt ornamenta Altaris Ecleſiæ, iſtud eſt decus virtutum ejus, iſta ſunt Chriſtianæ pietatis inſignia. Sed nefas eſt, inquis, iſtum flagitioſum raptorem, atque invaſorem cunctorum, Divinum Altare contin-

 gere:

gere: *Nolo hæc dicas, chariſſime, quoniam quidem & meretrix illa Peccatrix contigit pedes Chriſti, & non ex hoc opprobrium contulit Chriſto, ſed inſignia virtutis ejus elicuit: neque enim immunditia ejus polluit mundum, ſed puritas mundi purificavit immundum. Nolite malorum memores exiſtere: aut neſcitis, cujus Domini ſumus famuli, cujusq; Magiſtri diſcipuli? recordamini, illius nos eſſe ſervos, qui pro his, à quibus ad crucem deductus eſt, dicebat: Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt. Sed refugium, inquis, Eccleſiæ ipſe prohibuit, & legem dedit, quæ velut muro quodam miſſo confugere eos ad Divinum Altare prohiberet: Sed ecce, ita diſpenſavit Deus, ut prior diſceret ipſe quod fecit, & vim Legis ſuæ ipſe prior ſentiret. Si vindictam quæris, quid eſſe hic amplius poteſt quàm ut ipſe ſolveret, quod ligaverat deſtrueret, quod ædificaverat; pateretur ipſe, quod cæteros pati juſſerat: quid hoc ſpectaculo quæris amplius?*

plius?

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

plius? Hic poſitus & tacens, orbi terrarum iniquitatem ſuæ Legis annuntiat, monet omnes, & dicit: Nolite facere talia, ne talia patiamini. Eſtne quiſquam, qui talem Doctorem non audiat, qui nõ acquieſcat hujuſcemodi Monitori, qui non ſermonibus docet, nec exemplis aliunde quæſitis, ſed ſeipſe & ſuum exilium offert omnibus ad exemplum? quid tu putas Altare nunc pollui? imò verò nunc effulget in virtute, nunc terribile apud omnes efficitur, & metuendum. Conveniſſe video non ſolùm virorum inſolitos vultus, ſed & mulierum: Virgines etiam video: convolavit undique omnis ſexus, omnis ætas, omniſque conditio, ut illum, quem viderant Altaris hoſtem, nunc captivum viderent Altaris, ut perſpicerent judicia Dei &c. Puto vos mitigatos, puto repreſſam iracundiam, & impetum impii furoris extinctũ puto, quòd jã vos ad miſerandum magis, quàm ad perſequendum ſermo converterit. Et quid dico, Puto? imò jam cer-

tus ſum: video enim vultus veſtros, furore depulſo, lacrymas proferentes: induti enim eſtis Chriſtum, & induti eſtis Viſcera miſericordiæ: & ideò didiciſtis dolere cum dolentibus, flere cum flentibus. Quam brevi ſeminanti mihi ſermonem miſericordiæ, ſeges fœcunda pietatis aſcendit, & confido, quòd jam nunc miſericordiæ manipulos congregabo. Proſternamus nos, quæſo, Religioſo Principi, imò potiùs obſecremus primò miſericordiam Dei, qui cor Regis emolliat, qui furorem Regis mitiget, ut integram ab eo gratiam mereamur. Et quidem comperi, quod jam dudum ad aures ejus delatum eſt, quod hic ad Altare Dei, & verum iſtud Aſylum confugiſſet, & inſiſtente exercitu ac expoſcente, ut eũ traderet ob ſcelerũ ſuorum pœnas luendas, longâ oratione uſum, quâ ſedaret exercitum: audio enim proſecutum, quòd in ſingulis quibuſque delinquentibus, non ea tantùm cõſideranda eſſent, quæ peccaverint, ſed & ea, quæ aliquãdo fortè utiliter geſſerint. Cumq; in his non ſolum tumentes

animos

*animos non placaret, verùm & acriùs inflammaret, dolentium præcipuè Imperatoris injuriam: tum Ille de Sereniſſimo vultu profuſis lacrymis admonuiſſe fertur Exercitum, quòd ad Altare Dei confugerit, & ita tanti furoris impetum reſtinxiſſe. Sed & nos, quod ex nobis eſt, agamus. Si enim propriæ injuriæ acerbitatem non exequitur Imperator: quid Sanctos facere decet? quid filiis Eccleſiæ agere conveniet, quibus paulò pòſt accedendum eſt ad ſancta, quibus contingenda ſunt Myſteria, quibus Oratio Dominica offerenda, in qua dicendum eſt:* Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? *ſcimus hunc debitorem eſſe multorum: non eſt nunc judicii tempus; ſed pietatis: nec ultionis, ſed miſerationis: neque ſententiæ, ſed indulgentiæ. Deſinite, quæſo, ab indignatione animi, cohibete iras, tumoremque depellite, & ad preces vos miſericordis Domini unà mecum convertite, ut det ei veniam,*

 *liberet*

*liberet eum de imminentibus gladiis & concedat ei tempus pœnitentiæ, ut poſſit ſe exuere omnibus malis, quibus infeliciter indutus eſt: Rogemus Imperatorem, ut honoret Eccleſiam, honoret Altare, & hominem, qui ex eo ſperavit ſalutem, non inaniter patiatur credidiſſe &c.*

74. Quantum porrò ad morbos ignobiles talibus congruâ Dei vindictâ immiſſos: Lucius Sylla Dictator apud Plutarchum *in Ejus vita*, cum Mithridatis Legatum Athenis extraxiſſet è Templo Dianæ, in Sacrilegii pœnam pediculis in cibum relictus fœdè interiiſſe ab Ethnicis creditur: eâdemque turpi lue ſublatum ex hac vita contemptorem Divinitatis ac Religionis Democritum tradunt omnes, quotquot ejus mortem enarrant. De Philiſtæorum Arcam, *Dei veri ſolium*, irreverenter tractantium infami ac immedicabili plaga, ad cujus dolores ſedandos, *fecerunt ſibi ſedes pelliceas*, ut molliùs ſederent, videri

poſſunt

poſſunt ea, quæ paſſim Interpretes in 1. *Reg. 5.* commentantur: quam tanti mali cauſam, cùm in ejus recenſitione profiteri ſincerè nollet Herodotus *lib.* 1. aliam ùt obſervat Joſephus *lib.* 10. *antiq. cap. 1.* eò tamen recidentem, confinxit, illos ſcil. Mariſcis cælitus in ano punitos fuiſſe, quòd Aſcalone, eorum aliqui Templum Veneris expilâſſent: *pudetque Scripturam ipſam* ignominioſum illud plagæ genus 2 *Paralipom. 24. verſ. 25. edicere*, quo per Syros vindicatum fuit in Joas Rege cum languoribus magnis tandem è manibus ipſorum dimiſſo, abominabile facinus ab eodem in *Atrio domûs Domini* adversùs Zachariam filium Jojadæ commiſſum, cujus necem Judæis Chriſtus ſuo adhuc tempore exprobrat *Matth. 23. verſ. 35.* eiſque minatur excidium, inquïens: *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis &c. à ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ &c.* ob quam Templi profanatio-

nem S. Epiphanius *de vita & obitu Zachariæ* accidiſſe commemorat, *ut ſacerdotes nequierint ampliùs neque Angelorum viſa oculis uſurpare, neque oracula ſive reſponſa populo ex Dabir reddere; neque etiam in Ephod per ſigna & portenta reſpondere.* De ingloria deinde Antiochi, ſacrorum & templi temeratoris, morte 2. *Machab.* 9. *v.* 5. *& ſeqq.* idem legimus, quòd ſcaturientes de impii corpore vermes illud malè ambeſum morti victimam conſecrârint. Nec alius fuit Herodis Aſcalonitæ, SS. Innocentium occiſoris, è vivis egreſſus, cujus verenda Joſephus *lib.* 17. *antiq. c.* 8. *& ſeq.* putrefacta ſcatuiſſe pediculis aſſerit, *fœtidique* interitûs cauſam in impoſitam irreverenter maximæ Templi portæ Aquilam auream truculenterque exercitam contra Religioſos ejuſdem dejectores crudelitatem refundit. Sique de ſupplicio Divino adversùs Herodem Agrippam ſuſcepto quæritur, *Act.* 12. *verſ.* 25.

&

*& ſeqq.* ſuperbus Princeps admiſſis Tyriorum & Sidoniorum blaſphemis acclamationibus contra Deum ſe efferens, à juſto Divinitatis zelote, Angelo Domini percuſſus, in pediculorum eſcam ceſſiſſe deprehenditur, ut ſe non tantùm mortalem, ſed & putidum experiretur.

75. De Galerio Maximo quoque fidelium hoſte, & everſore Templorum advertit Euſebius *lib. 8. Hiſtor. Eccleſ. c. 18. & 19. ipſum Authorem ſceleris ultio Divina corripuit, & ille, qui lætis ac ſaginatis carnibus, incedebat ſuperbus, inflatis ſubitò viſceribus, ſuppuratiſque diſtenditur, & ebullire è putrefactis interioribus venis undatim cœpit innumera vermium multitudo. Fœtor verò tam intolerabilis erat, ut nullus omnino ne Medicorum quidem propiùs poſſet accedere: quorum pleroſque, quòd nec morbo aliquid mederi, nec vim fœtoris tolerare poſſent, interfici jubet: in quibus cùm quidam jugulandus potiùs, quàm medicatu-*

*dicaturus aſſiſteret, inſpiratus à Deo cur, inquit, Imperator erras, quod Deus infert, ab hominibus putas poſſe revocari? recordare, quanta in ſervos Dei egeris, quamque in Religionem Divinam impius, & profanus extiteris, & intelliges, unde tibi ſint poſcenda remedia: Tum primùm ſe hominem eſſe intelligens, convocatis his, qui in officio publico ſibi parebant, legem ſcribi, & confeſtim remitti jubet, qua non ſolùm Chriſtianis deſinat perſecutio, verùm & reædificari eorum Eccleſiæ permitterentur.*

76. Julianus quoque Præfectus Orientis Juliani Prævaricatoris avunculus, cùm violenter ingreſſus Antiochiæ Dominicum Aureum (*Eccleſiam à Conſtantino M. extructam*) occiſo ſacri Theſauri cuſtode Theodoreto Presbytero, direptis à ſe votis ſacris, & in terram projectis inſediſſet impiè, mingenſque adversùs ſacram menſam, Eutropio id prohibere conanti alapam impegiſſet, ex S. Chry-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Chryſoſtomo *orat. in Gent.* Sozomeno *lib. 5. Hiſtor. Eccl. c. 7.* Theodoreto *lib. 2. c. 11. & 12.* diſcimus, illicò pòſt, pudenda & meatus ad neceſſitatem à natura conceſſos ei contabuiſſe, carnesque illis corporis partibus circumdatas putreſcentes à vermibus indè natis corroſas, ac miſerũ hominem ita enectum fuiſſe: *Quod etiam accidit*, ùt refert *cit.* Sozomenus *tum Theſauri Regii Cuſtodi, tum aliis nonnullis ad amplos dignitatis gradus in aula Imperatoris elatis, qui contra Eccleſiam juveniliter inſultantes, velut ab ira Divina condemnati, exitum vitæ, ùt mirandum, ita planè miſerabilem conſecuti ſunt.*

77. In pabulum ſimiliter iiſdem undique è ſua carne ebullientibus ceſſit Hunericus Vandalorum in Africa Rex Arianus apud Victorem Uticenſem horum in Africa Spectatorem *l. 2. de perſecut. Vandal.* poſt editã ſanctionem de Catholicorũ Eccleſiis unâ die per omnem Africam occludendis,

dendis,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dendis. Et hoc ipſo pediculari morbo extinctum aſſerunt Arnulphum Imperatorem Luitprandus *lib. 1. c.19.* atque ex hoc celebris Boicæ Gentis Annalium Scriptor Joannes Adelzreitter à Tetenweis arcani conſilii Electoralis Bavarici Cancellarius *p. 1. l. 12. n. 55.* cujus fœdæ mortis genus Luitprandus violationi jurium ac legum Eccleſiæ & ſacræ dignitatis præprimis adſcribit.

78. Atque ne longior ſim, quis non exhorreſcat ad illud pœnæ genus relatum à Polydoro Virgilio *lib. 13. Hiſt. Angl. n. 10.* quo irriſores S. Thomæ Cantuarienſis in vico Strodo, ob contumelioſè amputatam ejus equi caudam, hoc perpetuo probro correpti leguntur à Deo, ut omnes deſcendentes ex eo hominum genere, qui id facinus perpetrârant, in poſterioribus, brutorum adinſtar, caudati effecti ſint, & Sterʒmänner id eſt *viri caudati* appellati? quam tamen infamiæ notam jam pridem unà cum illa

gen-

gente deletam affirmat. Nimirum ad confundendam eorum ſuperbiam, qui ludunt in iis, quæ ad honorem Deo debitum & reverentiam perſonis aut rebus ei ſpecialiter ſacris exhibendam pertinent, irreligioſos, & ſacrilegos ejuſmodi Deus *in poſterioribus* juxta *Pſalm.* 77. *v.* 66. percutit: atque, ùt legit verſio Tigurina *Eccl.* 19. *v.* 3. *Caries & vermes occupabunt eos, & omnia confidens* (audax) *auferetur, gravique ſupplicio contabeſcet.*

79. Quæ cùm ita ſint, annitendum eſt quidem maximè, ut in Laicorum animis debitus Religionis ſenſus, ac promanans indè erga Deum, res ſacras, & præcipuè Dei domum reverentia conſervetur: id autem præprimis cavendum eſt, ne, quod improbamus in Laicis, ipſimet in Eccleſia conſtituti pluribus modis, ùt immodeſtiâ, confabulatione, incompoſitis actionibus, lectione rerum eò non pertinentium, ſomnolentiâ, Rubricarum neglectu, diverſis officii

noſtri

noſtri ſubterfugiis, ut de aliis taceam approbare videamur : qui ſi coram Deo, ac in ejus Baſilica, & in actionibus ad publicum Dei cultum ſpectantibus forſitan irreverentes ac irrelegioſi exiſtimus, quid mirum, ſi pravis moribus noſtris & exemplis laicos talium conſpectores ad Divinorum contemptum pariter incitamus? adeò ut, quod poſt recenſitas Imper. Rom. clades ſcripſit S. Hieron. *Epiſt. 3. ad Heliodor. Noſtris peccatis Barbari fortes ſunt, noſtris vitiis Romanus ſuperatur exercitus* : fortaſſis multò magis hodie dici poſſit: *noſtra irreverentia exiſtimationem rebus Sacris apud Laicos abſtulit, noſtra irreligioſitas Religionem in animis laicorum extinxit* : à quibus ſi laudabili zelo Religionem in conſervanda locorum ſacrorum inviolabilitate exigimus, ac ingeminamus illud *Ierem. 7. v. 4 Templum Domini &c.* (dum nos Ipſi in deferendo Numini ac Ejus domui cultu vituperosè deficimus) matrix noſtra ſterileſcit, & ubera

ra areſcunt *Oſee 9. v. 14.* ſive noſtra apud ſeculares doctrina *de immunitate & reverentia Eccleſiis exhibenda* parùm proficit, nec jam verentur nos imitari, qui ex adverſo ſunt, habentes aliquid in eodem genere mali, quod dicant de nobis *Tit. 2. v. 8.* Quod ne fiat, oportet, monente Tertulliano *de patient.* reverentiam in aliis deſideratam, deprehendi priùs in nobis, *ne dicta, factis deficientibus, evileſcant.* Et ut integra ſit ac certa victoria, jungamus propriæ Religionis exemplo modeſtiam ac deprecationem ſubmiſſam, quâ novimus ipſiuſmet Eſau ferociam *Geneſ 33.* à Jacob feliciter repreſſam fuiſſe.

80. Licèt autem ante A C. circiter milleſimũ præter *Anthropomorphitas*, de quibus S. Epiphan. *hæres 70. contra ſectam Audianorum*, & S. Auguſtinus *lib. de hæreſib. hær. 5.* vix ulli Clericorum opes cum eorundẽ ſtatu pugnare, tenuerint: qui deinde *Wicleffiſtarum* graviſſimus error fuit, condemnatus

natus à S. Synodo Conſtantienſi, velut contrarius expreſſo Chriſti promiſſo *Mar.* 10. *v.* 29. *&* 30. *nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, &c. propter me & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantũ, nunc in tempore hoc, domos &c. & agros cum perſecutionibus.* Ex ipſa tamen renuntiationis formula, quam tempore ſuſceptionis tonſuræ Clericalis recitare jubemur: *Dominus pars hereditatis meæ &c.* liquet, nos ſpecialiter & ex officio teneri ad præferendum cæteris omnibus Miniſterium Dei & Eccleſiæ; quod ſi quandoque ſecularibus curis poſtponimus, laiceque magìs, quàm Clericaliter vivimus, aut temporalia ferventiùs ſectamur, quàm Sacra, imò quoquo poſſibili modo nos illis citra neceſſitatem, ob fines profanos, ingerimus, veluti quæſtum *pietatem* putantes: haud mirum videri debet, ſi laici pravis moribus noſtris illecti, Eccleſiaſtica quoque ſibi viciſſim, quamvis nulliter, arrogare præſumant.

DISSER-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# DISSERTATIO IV.

## *De triplici effectu ſacræ immunitatis localis.*

81. I. *Effectus eſt, quòd confugæ per vim aut dolum extrahi nequeant, & tum ita, vel per errorem ipſiuſmet etiam Epiſcopi, tum in caſu criminum exceptorum contra formam Bullæ Gregorianæ extracti, ſint Eccleſiæ reſtituendi: ſecùs eſt de ſponte egreſſis, & extra locum immunem deinde abductis.*

82. *De ſententia Sylveſtri & Gloſſæ remiſſivè.*

83. *Quomodo procedendum cum Reo criminis excepti: ubi de Diœceſum Germaniæ vaſtitate, reſpectu Italicarum, ac neceſſaria idcircò proviſione: item de locis nullius, & tempore ſedis vacantis.*

84. *Quid agendum, ſi, durante diſcuſſione, de qualitate criminis, Epiſcopus*

piſcopus repoſitionem confugæ in lo-
co bene munito recuſet?

85. Duplex animadverſio Eminentiſ-
ſimi de Luca.

86. An Epiſcopus in carcere ſuo cu-
ſtodire poſſit confugam enormis
criminis non excepti reum, donec
Sanct. Pontifex conſulatur? Et
quid Curiæ ſeculari liceat, Si notoriè
conſtet, confugam eſſe reum delicti
excepti.

87. Reſpondetur quorundam argu-
mentis.

88. Notabilis caſus, qui Anno 1679.
accidit.

89. Alius caſus, Anno 1598 ab Archi-
epiſcopali Curia Neapolitana deci-
ſus.

90. Recenſitio & ſolutio argumento-
rum Regentis Sanfelicii.

91. An Reus indebitè extractus, ſit re-
ſtituendus eidem Eccleſiæ materiali.

92. Quid è contrà dicendum, ſi Reus
fugiat è manibus Curiæ ſecularis?

93. & 94. An hæc conſtitutio Grego-
riana

riana etiam Judicis Eccleſiaſtici manus in ſuo foro conſtringat: & de ſenſu c. Inter alia, juxta nonnullos.

95. Mens Concilii Sardicenſis can. 7. ubi de interceſſionibus Eccleſiæ pro Reis damnatis: & cur, ac quando flacceſcere ceperit hoc officium ſanctitatis?

96. De II. Immunitatis localis effectu paſſim à Canoniſtis jactato.

97. Verus c. Inter alia tenor, ac ſenſus: & hodierna conſuetudo.

98. Errant, qui putant punitum ab Eccleſiaſtica poteſtate ſubduci per hoc præcisè animadverſioni Curiæ ſecularis.

99. Unde hæc æquivocatio nata videatur.

100. Commoda olim reportata de non irritata intempeſtivè poteſtate ſeculari.

101. De criminibus mixti fori.

102. Major enucleatio eorum, quæ tacta ſunt nu. 86.

103. III. Immunitatis localis effectus:

 ubi

*ubi de exceſſibus tum ſecularium, tum Eccleſiaſticorum.*

104. *Quibus ſumptibus providendum Confugis.*

105. *Confugæ diſponendi ad pœnitentiam.*

106. *Cavenda participatio criminis Clericis & Religioſis.*

107. *Occaſio L. 1. Cod. Theod. de his qui ad Eccl.*

81. TRiplex vulgò aſſeritur *Sac. Immunitatis localis effectus* I. quòd confugæ (præterquàm in criminibus exceptis, aut de ſpeciali juſſu S. Pontific.) ex immuni loco per vim extrahi nequeant, imò nec per dolū promiſsâ ſecuritate Sperell. *to. 2. deciſ. 148. nu. 59. & ſeq.* Barboſ. *lib. 2. Iur. Eccleſ. c. 3. nu. 54.* adeò ut non modò *Sacrilega*, ſed & ob violationem Juris, quod habet confuga, ut recipiatur ab Eccleſia, ad quam recurrit, & ne in eadem capiatur à laicis, *injuſta*, imò *nulla* ſit hujuſmodi extractio, quia

quia ſine juriſdictione exercita, ac conſequenter omni validitate deſtituantur etiam cætera in tali captura fundata, extractuſque ab Aſylo ob crimen non exceptum, quantumvis enorme (ſine expreſſo aſſenſu Romani Pontificis) per errorem aut pravam voluntatem ipſiuſmet Epiſcopi, vel in exceptis abductus non ſervatâ Gregorianæ Conſtitutionis noſtræ formâ, licèt fateatur crimen exceptum, reponendus ſit actualiter in eodem loco immuni tanquam offenſo, & ſpoliato, cum refectione intereſſe, & damnorum, quæ indè paſſus eſt Confuga. *S. Congreg. Immunit. in Salernitana* 7. *Maij* 1630. apud Pignatellum *to.* 1. *conſult. can.* 170. *nu.* 4. ex ratione præfata, quòd, etſi privilegium principaliter loco conceſſum ſit, redundet tamen etiam in homines eò recurrentes, ut conſtituti ſemel ibidem, quamdiu non ſpontè ac liberè egreſſi, nec de particulari licentia Papæ ſeculari juſtitiæ conſignati, *aut*

*immunitate non gaudere* declarati fuerint, à qualibet ſeu violenta, ſeu doloſa extractione ſint immunes: quicquid ſanctus quidam Doctor aſſerere videatur per verba: *Sacrilegium interdum invenitur ſeparatum ab aliis peccatis, eò quòd actus non habet aliã deformitatem, niſi quia res ſacra violatur: puta, ſi quis Iudex capiat aliquem de loco ſacro, quem in aliis locis licitè capere poſſet.*

82. Sicut è contrà non procedit illa doctrina Sylveſtri in *ſum. v. immunitas q. 4.* & aliorum quorundam aſſerentium, à confuga ſponte licèt recedente extra Aſyli Eccleſiaſtici terminos, ex quo ſemel eò confugerit, adeò non amitti privilegium immunitatis, ut de Jure ob illud delictum non ampliùs puniri corporaliter valeat, nec ad mortem damnari. Quod quidem gloſſa in *c. Reum 9. v. vel ad mortem XVII. q. 4.* tunc ſolùm ita tenendum exiſtimat, quando talis ab Eccleſiaſtico Judice punitus fuerit, & ad dam-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

na ac intereſſe condemnatus : quod utrum antiquæ & hodiernæ praxi conveniat, infrà diſpiciemus *nu.* 99. & *ſeqq.*

83. Quod ſi deinde agatur de criminis excepti Reo, hic ſeculari Curiæ non aliter conſignandus eſt, quàm per Perſonam Eccleſiaſticam, de mandato localis Epiſcopi, aut ejus Officialis, ſeu Vicarii generalis, & quidem prævià unius ex iſtis cognitione, quòd is verè commiſerit delictum exceptum. Qua de cauſa cùm in Germania minor ſit numerus Epiſcoporum, majorque Diœceſium vaſtitas, quàm alibi, præſertim in Italia, ubi Ughellius *in Italia ſacra*, diligenti perquiſitione factâ, quadraginta Metropolitanas, & ducentas nonaginta circiter Cathedrales Eccleſias, pleraſque antiquiſſimas & ante ſeculum X. erectas, recenſet, ne facilè, ob Ordinariorum diſtantiam, irreparabilia vel gravia ſaltem incommoda accidant, in illuſtrioribus præſertim


locis

locis prærogativam Eccleſiæ Cathedralis non habentibus, ùt Bruxellis in Belgio, Erfurti in Thuringia, Matriti in Hiſpania &c. Vicarius particularis pro grandibus ejuſmodi locis cum juriſdictione ad univerſitatem cauſarum, archivo, Notario, aliiſque ſignis Eccleſiaſtici Tribunalis deputari ſolet, ac meritò debet, ab Epiſcopo alibi habitante, & ad differentiam locorum minoris momenti ( quamvis & ipſe reverà, juridicè loquendo, merè foraneus, ac ſubordinatus, & à vero Vicario generali, unico, reſidente apud Epiſcopum, unitimque cum Hoc regente Eccleſiam, ac idem Tribunal habente, omnino diſtinctus ſit) *Urbanus* nuncupatur: qualem, ante mutatam Religionem, Epiſcopi Bambergenſes etiam Norimbergæ habere conſueverant: qui tametſi, ùt modò dixi, à vero Officiali, aut Vicario in Spiritualibus generali propriè differat, inter alia tamen etiam in caſibus ſubitaneis & dilationem non admit-
tenti-

tentibus, providendi facultatem habeat, ne, dum exſpectatur decretum Epiſcopi, prolixiúſque de veritate criminis excepti diſquiritur, interim Reus, beneficio immunitatis, quâ minimè gaudet, prætenſo evadat: ad quod evitandum, hic detineri tamdiu poteſt in Eccleſiaſtico carcere, ac ibidem, ſi fuerit opus, apponi cuſtodia à Judice laico, donec ab aliquo ex prædictis cognoſcatur, an commiſerit crimen exceptum: Sique caſus in loco exempto *nullius Diœceſis*, vel tempore vacantis Sedis Epiſcopalis eveniat, cognitio & permiſſio extrahendi ad Epiſcopum viciniorem pertinet: quod *primum* de loco *nullius* decrevit Gregorius XIV. in hac Conſtitutione ſua *nu.* 5. *alterum* de tempore ſedis vacantis, S. Congregatio immunitatis in *Regien. Calabriæ* 19. *Novemb.* 1641. declaravit his verbis: *Vicarium Capitularem non poſſe cognoſcere ſuper extractione, & violatione immunitatis Eccleſiæ; ſed ſpectare ad Epiſcopum*

 *vici-*

*viciniorem*, proximitate ( ùt bene advertit Naldus V. *Ordo*) deſumptâ ex vicinitate majore non territorii; ſed Eccleſiæ Cathedralis. Quamvis enim Capitulum, tempore ſedis vacantis, Epiſcopo ſuccedat in multis caſibus, quos Joannes Andreas, de Butrio, Dominicus, & Francus *ad c. His qui n. X. de major. & obed.* fusè recenſent: ea tamen, quæ jure ac titulo ſpeciali Epiſcopo competunt, aut à S. Pontifice vel lege peculiariter excepta reperiuntur, expedire non poteſt. Quam ob cauſam A. Chr. 1562. ùt refert Carpzovius *diſp. feud. 2. q. ad A. B. 5. nu. 9.* Principes Electores ad eligendum Regem Romanorum convocati, Legatos Capitulares admittere, & ad electionem progredi recuſârunt, donec in locum Joannis Gebhardi Archiep. & Electoris Colonienſ. ipſo Conventûs Electoralis tempore mortui, Fridericus Comes de Weda à Metropolitano Capitulo electus fuiſſet, quem deinde, tanquam Prin-
cipem

cipem Electorem, 24. Novemb. Francofurti electioni Maximiliani II. adfuiſſe memorat Nicolaus Heiden *in deſcript. Coron. Maximil. II.* Idemq; defunctus nuper Sereniſſimus Elector Maximilianus Henricus *in Proteſtatione ſua* 8. *Iunii* 1653. *producta* confirmat.

84. At ſi Epiſcopus, ad quem pertinet, requiſitus, ob fugæ periculum, confugam interim, dum diſcutitur articulus, *an immunitate Eccleſiaſticâ gaudeat*, ad inſtantiam dictæ Curiæ ſecularis extra Eccleſiam in carcere ſuo reponere renuat: talem, vi Gregorianæ conſtitutionis noſtræ, *ſuprà nu.* 5. Miniſtri ſeculares, cum minore, quo fieri poterit, ſtrepitu & ſcandalo, licitè illinc extrahunt, cuſtodiendum intra Epiſcopi carceres, quatenus eos habeat bene munitos, aut in tutiori loco, & quidem deficientibus aliis, in ipſiſmet carceribus Curiæ ſecularis precario tamen Epiſcopi nomine, ac ſi hujus eſſent pro-

prii, ibidemque fideliter, quouſque per Epiſcopum vel ejus Superiorem (qui hac in re tantùm eſt Pontifex) criminis qualitas explorata fuerit, detinendum. Quod neceſſariò ſic ſtatuendum fuit à S. Pontifice, ne ex intempeſtiva denegatione facultatis extrahendi criminoſum immunitate indignum reſultaret irritatio Poteſtatis laicæ, & læſio potiùs ac præjudicium, quàm tuitio immunitatis.

85. Rectè idcircò monente Eminentiſſimo de Luca *in Miſcel. Eccl. diſ. 2. nu. 5. & 10.* dummodo immunitas ipſa ſic conſervetur in genere, ne ſpernatur à laicis jus ſibi dicentibus, & confugas propriâ authoritate abducentibus, aut pro libitu punientibus: quoties ad Conſtitutionis Gregorianæ præſcriptum Poteſtas laica reverenter ab Eccleſiaſtico ſuperiore, ratione criminis excepti, petit extrahendi licentiam, circumſpectè ac diſcretè cum illa agendum eſſe, ne, inconſultò denegatis iis, quæ ex mente Eccleſiæ, ac rationabiliter conce-

denda

denda forent, laici ſub prætextu non amittendi ea, quæ legitimè prætendere valeant, refrigeſcente paulatim reverentiâ Judicis ac loci Sacri, ad illicita quoque manus protendant. Qui idem Cardinalis ulteriùs innuit, non ſolùm in caſibus exceptis, ſed aliàs quoque ob delicta enormia, ſive ut futuris ſcandalis occurratur, facto recurſu ad S. Pontificem, confugarum expulſionem è locis immunibus ſolere decerni, permittique eorundem detruſionem ad temporalem aut perpetuum carcerem, vel ad triremes: immunitatis Eccleſiaſticæ præſidio regulariter hoc operante, quòd Confugas, quamdiu Aſylũ ſponte non deſerunt, aut gravi de cauſa inde velut indigni ejiciuntur ab Eccleſia, ab ordinaria pœna præſervet: cujus rei exemplum affert Caſſiodorus *l. 3. epiſt.* 47. de Theodorico Italiæ Rege homicidam confugam ad Vulcani Inſulas relegante: *ut & ſancto Templo reverentiam habuiſſe*

*videretur, nec criminoſus vindictam in totum evaderet, qui innocenti non crediderat eſſe parcendum.*

86. Quod autem nonnulli autumant, ſi Reus magni criminis non excepti ad S. Aſylum confugiat, teneri Epiſcopum, vel perſonam ab hoc deputatam, inſtante Curiâ ſeculari, ad eum arctè cuſtodiendum in carcere, donec Papa de enormitate delicti certior redditus, concedat extrahendi licentiam, vel aliter de eodem diſponat: quorum opinione forſitan fretus Curialis quidam nuper conſuluit, ut Curia ſecularis in caſu enormi, non tamen expreſſo per Bullam Gregorianam, & Ordinario contradicente, perſonam delinquentis cuſtodiret in proprio carcere, precario nomine, & ad diſpoſitionem S. Congregationis Immunitatis, donec iſta, ſtante controverſiâ cum Ordinario, decideret, quid in talibus circumſtantiis eſſet agendum cum Reo? id altioris eſt indaginis hodie, poſt Conſtitutionem

nem maximè Gregorianam, quæ in ſolo caſu, quo probanda eſt contra delinquentem *excepti criminis qualitas*, opportunam confugæ cuſtodiam ſub manu Curiæ Epiſcopalis juxta dicta *nu.* 5. *&* 84. permittit: extra hunc verò, & ſeclusâ quâvis aliâ S. Pontificis particulari diſpoſitione, confugæ, ſine ſuo & Eccleſiæ conſenſu, immunitatis beneficium auferri non ſinit: adeò quidem, ut, licèt notoriè conſtaret, crimen à Reo commiſſum, eſſe in hac noſtra *Extravagante* exceptum, quicquid Gambacurta, Sarpus, & alii quidam in hoc puncto exiſtiment, Curiæ tamen ſeculari propriâ authoritate talem extrahere non liceret, ſicque de facto abductus, quamvis deinde renuntiaret favori Confugii, reſtituendus eſſet à Judicibus laicis eidem Eccleſiæ, è qua violenter, ſeu nullo Jure extractus fuerat: relictâ ſolùm Confugæ ita reſtituto (ante conſignationem ſuæ perſonæ, authoritate Eccleſia-

ſticâ factam ) libertate voluntariè egrediendi extra Aſyli terminos, ſeque in manus temporalis Juſtitiæ conjiciendi: cùm privilegium principaliter & directè ſit datum Eccleſiæ, & quanquã indirectè redundet in ipsũ quoq; Confugam, eique ſecuritatem ac jus adversùs omnem vim laicam tribuat, à Confuga tamen, quantumvis Jure ſuo cedente, Juri Eccleſiæ præjudicari non poſſit.

87. Nec obſtat, quod à quibuſdam, magis verborum, quàm mentis Canonum ac Legum peritis, opponi ſolet, quòd *factum legitimè retractari non debeat c. Factum* 73. *de R. J. in* 6. nec laudabiliter repetatur, qui mox reſtituendus eſt, cujuſque criminis excepti notorietas ſuperfluam facit cognitionem Judicis Eccleſiaſtici arg. *c. Veſtra* 7. X. *de cohabit. Cler*. ac in vim Conſtitutionis Gregorianæ ita manus ejuſdem ligat, ut negare nequeat facultatem extrahendi à jure tributam. Non inquam, id obſtat,

ſtat, cùm Jura tam ſacra, quàm profana c. *Frater* 10. c. *definivit* 35. *XVII. quæſt.* 4. *l. Pateant.* 3. *C. de his, qui ad Eccl.* licentiam Eccleſiaſtici Judicis exigant, allegatâ à Divis Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano ratione, ne, ſi Epiſcopo inconſulto, & paſſim hoc liceat, irreverentia erga SS. Eccleſias, atque confuſio generetur: imò Gregorius XIV. prævíam Judicis Eccleſiaſtici cognitionem *pro forma*, quæ omitti non debet, requirat.

88. Unde cùm Anno 1679. in una ex præcipuis Germaniæ civitatibus homo quidam atrabilaris, & poſt acceptum olim in Dalmatia de manu Turcica vulnus in capite, mentis nonnihil turbatæ, cubiculum Religioſi primæ notæ, aliàs ſibi amici & valde benefici, cum armis ſub hyemali manica tectis, improvisò ingreſſus, Patrem nihil minus ſuſpicantem globo petiiſſet, moxque ad aſſidentem ei intimum Principis Miniſtrum conver-

verſus, hunc ingenti cultro ſauciâſſet, atque peracto facinore è cubiculo & Religioſa domo ſe confeſtim proripiens, in Monaſteriũ Mendicantiũ procul indè ſitum confugiſſet armatus, non ſinè gravi horum periculo, utpote pertimeſcentium diri hominis furorem nondum, ut conſtabat ex eo, repreſſum, quòd in ipſo Aſyli loco gravibus minis rurſum perculiſſet nonnullos, & contra quoſdam omnino cædem attentâſſet: Theologi ea de re conſulti judicârunt, mentis emotæ Confugam, armatum, minas adhuc & cædes in Templo ſpirantem, non exſpectatâ Domini Ordinarii alibi degentis licentiâ, haud ſecùs, ac quemcunque furioſum, citra immunitatis Eccleſiaſticæ læſionem abduci potuiſſe ac debuiſſe manu forti è loco Aſyli ob apertum moræ periculum, ſicque ob urgentem neceſſitatem, ad avertenda ſcilicet mala graviora extractum, atque prout cum furioſis fieri ſolet, vinculis, ne ultra noce-

noceret, in ſæculari carcere probè coërcitum, Monaſterio reluctanti præſertim & contra illius reductionem tanto cum receptantium aliorumve diſcrimine conjunctam proteſtanti, æquè parùm debuiſſe reſtitui, ac ovis Sabbato in foveam lapſa juxta ſimilitudinem Chriſti *Matth.* 12. *verſ.* 11. ac indè ſublata, ne pateretur incommodum, eodem rejicienda fuit, quò liberararetur poſt ſabbatum, quemadmodum ex ſuperſtitioſa declaratione legis poſitivæ ſabbati inferendum videbatur, ùt notat Cornelius à Lapide *ad hunc locum verſ.* 10. ubi ſubjungit: *hoc enim eſſet irrationabile, ſi lex poſitiva vetaret beneficentiam in ſabbato jure naturæ permiſſam; aut præciperet maleficentiam & noxam vetitam jure naturæ.*

89. Aliud verò dicendum fuit in caſu relato à Genuenſi *in ſua praxi Archiepiſcopalis Curiæ Neapolitanæ c.* 17. *n.* 5. his verbis: *Anno* 1598. *quidam Aſſaſſinus interfecit quandam perſo-*

nam

nam in via publica Civitatis Neapolitanæ & poſteà confugit ad Eccleſiam S. Mariæ advocatæ , à qua fuit per vim extractus à conſanguineis occiſi , & aliquibus ſatellitibus Curiæ ſæcularis, & eodem die coram Judice ſæculari confeſſus fuit , ſe commiſiſſe dictum homicidium per aſſaſſinium. Fuerant per Curiam Archiepiſcopalem citati omnes Judices mag. Curiæ Vicariæ, Advocatus, & Procurator Fiſcalis, ac etiam Carcerarii , quatenus deberent reſtituere dictum extractum Eccleſiæ prædictæ, vel procurare ejus reſtitutionem, & non impedire reſpectivè, ad finem, quòd ſi conſtiterit Curiæ Archiepiſcopali à dicto delinquente fuiſſe commiſſum delictum exceptum in Bulla prædicta, poſſet eidem Curiæ ſæculari conſignari: qui non aliter parére curaverunt; ſed poſt breve tempus ipſum laqueo ſuſpendi fecerunt: & ſic per Curiam Archiepiſcopalem fuerunt declarati excommunicati omnes prædicti Judices, Fiſcales, Carcerarii, Satelli-

tellites, & Conſanguinei occiſi, qui extraxerant dictum juvenem à dicta Eccleſia. Et fuit per Curiam Archiepiſcopalem reſolutum, quòd etiamſi notoriè conſtet, confugientē ad Eccleſiam, commiſiſſe delictum exceptum in dicta Bulla, adhuc ſervanda ſit forma Bullæ, quòd Epiſcopus debeat priùs cognoſcere, ſi confugiens commiſit delictum exceptuatum, & poſteà conſignare Curiæ ſæculari: ſiquidem, licèt notorium regulariter relevet ab onere probandi c. Veſtra 7. X. de cohabit. Cler. & mul. l. Hujus 1. ff. ex quib. cauſ. major. tamen non relevat, quando probatio requiritur pro forma Sarnen. in Regula de publicandis reſig. q. 9. Pariſ. de reſign. benef. lib. 1. c. 46 n. 81. qui teſtatur de communi, concludens, hâc ratione publicationem reſignationis beneficii eſſe faciendam, licèt notoria ſit reſignatio: Et hoc hodie patet in dicta Bulla, in qua etiam quod Confugientes commiſerint delicta excepta in Bulla ſi Epiſcopus denegat licentiam extra-

hendi

hendi, poteſt Curia ſæcularis ipſos ex-
trahere, & deducere ad carceres Epi-
ſcopi, ut ab eo cognoſcatur, an delicta
commiſſa ſint excepta in Bulla: & ſic,
quamvis aliunde appareat, eſt ſervan-
da forma Bullæ. Item fuit reſolutum
in Curia quòd ſi confugiens ad Eccle-
ſiam fuit extractus non ſervatâ formâ
Bullæ, & ex ſequentibus probationibus
appareat commiſiſſe delictum exce-
ptum in Bulla, nempe per confeſſionem
extracti, nihilominus eſt facienda re-
ſtitutio Eccleſiæ, quia Eccleſia ſpolia-
ta ante omnia eſt reſtituenda. c. Item
enim quis 6. c. cõſeq. 7. X. de reſt. ſpo-
liat. Item fuit dictum, dato, & non con-
ceſſo, quod dicebatur à conſanguineis
occiſi, ipſos ſolùm ſine ſatellitibus ex-
traxiſſe dictum Aſſaſſinum; ſed ſatel-
lites in via publica extra Eccleſiam de
eorum manu extractum accepiſſe, &
ad carceres Curiæ ſæcularis duxiſſe: ad-
huc dictus extractus erat Eccleſiæ reſti-
tuendus. Facit primò, quod confugiens
ad Eccleſiã à nulla perſona ſive publica
ſive

*ſive privata extrahi poteſt , jura enim generaliter loquuntur , & generaliter ſunt intelligenda* l. Hic titulus 1. § generaliter 1. ff. de legat. præſtan. contra tabul. *Hoc patet.* in c. Reum. 9. c. Definivit, 35. XVII. q. 4. & in l. Fideli 2. C. de his , qui ad Eccl. *quo præſuppoſito, dicendum eſt, quòd Eccleſiæ , quæ fuit ſpoliata per reſtitutionem hominis ab ea extracti, competit Interdictum de libero homine exhibendo , ut dicit Bartolus in d. l. 2. Abbas* in c. Inter alia n. *26.* X. de immunit. Eccl. *quod Interdictum , licèt ſit perſonale , eſt tamen in rem ſcriptū, ſicut cætera Interdicta* l. Interdictorum 2. §. pen. ff. de Interdict. *& ſic datur contra quoſcunque detinentes, quamvis non extraxerint. Præterea faciunt adducta per Bartolum in q. 6. incipiente : Lapus &c. eſt enim talis extractus Perſona affecta , quæ ad quemcunque tranſit cum vitio* arg. l. ſi abducta 10. C. de furtis §. Furtivæ *2.* inſtit. de uſucap. *& in Bulla prædicta videtur expreſ-*

*ſum*

*ſum in illis verbis*: extrahunt, capiu
& incarcerant *ſcil. extractum*; *ut o*
*nia verba operentur effectum* c. Paſt
rales 53. X. de appell. *& dicitur q*
*committere in legem*, *non ſolùm*
*contra ejus verba facit*, *ſed etiam*
*contra mentem legis* l. Non dubium
C. de L. L. *Præterea ſunt pondera*
*verba dicta Bullæ*: quâvis dignit
præfulgeant: *quæ non poſſunt ve*
*cari in extrahentibus*, *qui ſunt pe*
*næ viles*; *ſed neceſſariò ſunt intellig*
*da in Iudicibus*, *mandantibus extra*
*non reſtituentibus*, *vel aliquid att*
*tantibus præter aut contra formam*
*ſius Bullæ*. Hactenus M. Anton
Genuenſis Montis Marani, poſt
Iſernienſis Epiſcopus: cujus ſente
tiæ cùm Regens Sanfelicius *tom*
*deciſ. 276. n. 5.* apud Dianam Co
dinatum *tract. 1. de immunit. Ec*
*Reſolut. 109. num. 1. & 2.* difficul
tes non ſpernendas opponat, pla
eas revocare ſpeciatim ad trutina
ut veritas eluceſcat.

90. *In propoſito caſu diſtinguendum putat Sanfelicius, nam ſi Iudex miſit alterum, qui tanquam privatus amicus falſus illũ deciperet, vel inimicus vim inferret, tunc ſine dubio non poteſt capere illum, quia actio principaliter eſt judicis, & ideò ipſe tenetur Eccleſiæ reſtituere: Si vero ipſe, nihil cogitando de priore injuria, Reum invenit extra Eccleſiam, poteſt ſine dubio illum capere & contra illum procedere, quia extra locum ſacrum illum invenit, & ibi incipit exercere juriſdictionem ſuam, & ideò non violat immunitatem, neque ipſe tenetur hominem reſtituere Eccleſiæ, ſed alter, qui illum extraxit: quod ſi jam non poteſt, eſt per accidens & ſatisfacit, reſtituendo expenſas, & damna, prout poterit. Nec obſtat id, quod dicitur, quòd perſona extracta ſit privata libertate, & reſtituenda veniat, tanquam res affecta, quæ, ad quemcunque tranſit, cum vitio tranſit: nam reſpondetur, nullo jure id eſſe fundatum: & jura adducta lo-*

*quuntur in caſu diverſo, quando videlicet cohæret vitium: & in caſu noſtro, etſi privilegium prædictum competat perſonæ, competit tamen ratione loci, & donec eſt in loco: unde, ſi ſponte exierit ab Eccleſia, non gaudet immunitate. Cùm autem in Eccleſia nulla per familiam Curiæ ſecularis illata fuerit violentia, ſed extra locū ſacrum captus, in quo perſona erat privilegiata, ſequitur non eſſe reſtituendam. Nec à judice perſona dici poteſt ſpoliata immunitate, cùm non adfuerit conſenſus & authoritas ipſius in extractione ab Eccleſia, ſed eum familia ceperit, poſtquàm traxerant ad locum non immunem, & interdictum.* Unde vi, *non competit contra illum, qui non ſpoliavit C.* Cùm ad ſedem 15. X de reſtitut. ſpoliat,

*91.* Verùm adhuc ex multiplici capite talis Judex Immunitatem violare dicendus eſt, tum quia ſuccedit in vitium, continuando primam extractionem: delinquens enim, licèt corpora-

poraliter extra locum ſacrum exiſtat, moraliter tamen reputandus eſt, ac ſi verſaretur in eodem: tum quia extractio nulla fuit: tum quia nullo jure extractus, non amiſit privilegium immunitatis propter conſervatum continuò jus, ne quâcunque vi ex Aſylo ſacro, ſine ſuo & Eccleſiæ conſenſu, poſſet abduci: nec multùm intereſt, quoad animæ periculum, an quis injuſtè & ſcienter perſonam Eccleſiæ affectam detineat; aut è loco Aſyli abducat arg. *c. penul.* X. *de reſtit ſpol.*

92. Poſitâ hâc neceſſitate reſtituendi extractum contra formam in Bulla præſcriptam, dubium oritur, *an reus ſit reſtituendus eidem Eccleſiæ materiali, à qua violenter extractus fuerat: an verò ſufficiat fieri reſtitutionem cuicunque Eccleſiæ æquè tutæ ac commodæ*, ùt vult Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 3 *q.* 7. *pun.* 3. ſuppoſito quòd nullum indè damnum reo adveniat; *vel ſaltem Epiſcopo, aut ejus Vicario,*

*utpote repræſentanti Eccleſiam c. ſcire debes 7. VII. quæſt. 1. Can. ſi quis contumax 20. XVII. quæſt. 4. c. Eccleſia 1. ẍ. de reſtit. in integr. c. Novit. 13. ẍ de Iudic. c. De cætero 7. ẍ. de Cler. non reſiden. Clement 1. de foro compet.* ut ſuſtinet Genuenſis *cit. in praxi c. 17. n. 8.* allegans eadem Jura, & ajens: Anno ſequenti (1599) fuit extractus per Curiam ſæcularem ab Eccleſia S. Mariæ Refugii quidam juvenis, qui in eadem Eccleſia furatus fuerat è capſa cum plumbo & viſco quandam pecuniæ quantitatem: qui fuit poſteà reſtitutus Vicario Neapolitano, & fuit dictum, ſatis eſſe, quod *reſtitutio Extracti ab Eccleſia fiat eidem Eccleſiæ, vel Epiſcopo qui repræſentat Eccleſiam,* ſubintellige: *refectis damnis & intereſſe.* Quod ego quidem verum exiſtimo in tantum, ut extrahens, factâ ejuſmodi reſtitutione, & adimpletis etiam, ad quæ de Jure tenetur, ab excommunicatione incurſa poſſit abſolvi: non autem ut reus in Epiſcopi

car-

carcere poſitus , ſi delictum ab eo commiſſum non fuerit de exceptis, reſtituendus non ſit loco ſacro ſpoliato habenti Interdictum *de libero homine exhibendo* adversùs quoslibet detinentes etiam Epiſcopos, niſi Confuga delictum exceptum commiſerit, quo caſu conſignari poterit Curiæ ſæculari, ad ejus inſtantiam, in executionem noſtræ Conſtitutionis Gregorianæ: planè ſicut calix ex Eccleſia furtivè ſublatus, & Epiſcopo reſtitutus, ſi verè ad ſacram illius ſupellectilem pertinet, reſtituendus eſt Eccleſiæ damnum paſſæ, quin ab Epiſcopo pro libitu de eodem poſſit diſponi. Hocque tantò magìs, referente Barbosâ *de jure Eccl. univ lib. 2. c. 3. n.* 54. quæſtionem in his terminis ortam à ſacra Congregatione Immunitatis *in una Ferrarienſi Anno* 1639. ita fuiſſè deciſam.

93. *Atque hæc ita quidem, ſi ſpolietur Eccleſia, quæ c. Miror* 8. *XVII. q. 4. per excommunicationem compel-*

 *lere*

*lere poteſt extrahentem ad reſtitutionem.* ſed an idem viciſſim aſſerendũ, *ſi Reo ſpolietur Curia ſæcularis, aut per ejus fugam è carcere, aut per quamcunque ejus actu prehenſi è temporali juſtitiæ manibus exemptionem?* Ad quod reſpondendum videtur, cùm per leges tam ſacras, quàm profanas *nemini liceat homines ad SS. Eccleſias confugientes abducere*, & tales verè ad Aſylum ſacrum confugientes in libertatem jam ſe receperint, ac pro iiſdem loci ſacri reverentia militet, nihil obſtare, quò minùs Eccleſiaſticâ immunitate locali gaudere dicendi ſint. Quod enim *de ſpoliato ante omnia reſtituendo* poſſet opponi, rectè ex *c. Ex tranſmiſſa* 8. & *c. Litteras* 13. ibi: *ſi verò tanta ſit viri ſævitia, ut mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri, non ſolùm non debet ei reſtitui &c.* X *de reſtit. ſpol.* ita declarandum ac limitandum eſt, niſi de ſcandalo, vel periculo membrorum aut vitæ agatur, præterquam quòd

quòd laica poteſtas tali facultati ſeu juri repetendi quemcunque Confugam, quamdiu non egreditur ſponte, nec authoritate Eccleſiaſticâ indè ejicitur, abſolutè, ſimpliciter, ac indefinitè renuntiârit, ùt conſtat ex *cit. l. Fideli* 2. ibi: *nemini licere ad SS. Eccleſias confugientes abducere. Cod. de his, qui ad Eccl. confug.* Qua de re Jul. Clarus *in Pract. crim. quæſt.* 30. *verſ. Pone.* adfert inſigne decretum Senatûs Mediolanenſis de nonnullis, qui cùm Papiæ, aperto carcere, indè confugiſſent ad Eccleſiam, atque ex ea rurſum extracti fuiſſent, juſſi ſunt intra terminos ejuſdem Aſyli reduci.

*94.* Et quanquam ex Juribus hucuſque allatis de laica poteſtate loquẽtibus, ſalva videri poſſet Judici Eccleſiaſtico facultas quemcunque Confugam in quolibet caſu etiam non excepto indè abſtrahendi, utpote qui medicinales tantùm pœnas, non verò illam mortis aut obtruncationis membrorum, vel effuſivam

ſanguinis infligere ſolet ac debet; *cùm non ab homine 10.* ibi: *cùm Eccleſia non habeat ultrà, quod faciat*, X de *Iudic.* c. *Novimus* 27. *in fine* X de *V.S.* Joannes Andreas tamen ad *c. Inter alia* 6. *nu.* 4. X *de immunit. Eccl.* ex verbis univerſalibus negativis c. *Reum cit.* ibi: *nemo abſtrahere audeat* & *cit. c. Definivit.* ibi: *nullus audeat confugientes ad Eccleſias vel reſidentes indè abſtrahere.* Contrarium infert, ſuamque opinionem *n.* 5. confirmat ex eo, quòd tum *cit. c. Inter alia* 6. tum *c. Id conſtituimus* 36. *XVII. q.* 4. de omni pœnarum genere caveat, & gloſſa Innocentii de *pœnitentia*, non de *pœna* loquatur. Cui hodie neceſſariò ſuffragandum putat Illuſtriſſimus Fagnanus *ad cit. c. Inter alia* 6. *n.* 69 poſtquam Gregorius XIV. ſtatuit, ut in caſibus à ſe exceptis duntaxat fiat extractio de licentia ſolius Epiſcopi, vel ejus Officialis, cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo authoritatem habentis: *ergo in aliis*

*caſibus*

*caſibus non exceptis, nec de licentia Epiſcopi, vel illius authoritate, extractio fieri poterit.*

95. Verùm etſi demus, nullum omnino Confugam, criminis non excepti Reum, extrahi poſſe etiam Eccleſiaſticâ authoritate è loco immuni, ut deportetur ad locum privatum, vel triremibus, aut ſæculari carceri mancipetur, ſive aliâ quâcunque pœnâ corporis afflictivâ & quidem extra ſepta Eccleſiæ afficiatur: ipſe tamen Fagnanus *ibid. n. 92 & ſeq.* negare non poteſt, ne delicta prorſus impunita remaneant, poſſe Confugas intra Eccleſiam caſtigari, correctionis vel diſciplinæ causâ, maximè Clericos & Regulares ſalvâ loci reverentiâ, dummodo non ſequatur mors, vel mutilatio; aut permittente Canone *c. Qui peccat* 40. *XXIII. q.* 4. ſi religioſi ſint, ex uno Monaſterio in aliud arctius, etiam invitos, detrudi: & indiſcriminatim Farinac. *de immunit. c. 21. n. 339.* ait, Epiſcopo

per immunitatem Eccleſiaſticam non tolli poteſtatem animadvertendi in Reum, tanquam de ſua juriſdictione effectum. Nec aliter explicari facilè poſſunt aut ſolent, verba Innocentii III. *in cit. c. 6. Rectores Eccleſiarum ſibi obtinere debent membra & vitam: ſuper hoc tamen, quod iniquè fecit, eſt aliàs legitimè puniendus &c.* deprompta ex Concilio Moguntino *ſupra citato n. 65.* quàm quòd ante Gregorianam Conſtitutionem noſtram immunitas localis Confugas à pœnis corporalibus, non verò cæteris corpus non affligentibus, aut pecuniariis præſervârit, ideóque multoties à Conciliis & SS. Pontificibus ordinatum quondam fuerit, ne Confugæ extraderentur poteſtati laicæ, nisì receptâ per juramentum ſecuritate vitæ ac membrorum: quod & exemplo S. Chryſoſtomi producto *n. 73.* comprobatur, imò Gloſſa in *c. Reum. 9. v. ad mortem XVII. q. 4.* ſi, promiſsâ licèt ſub fide jurisjurandi ſecuritate à

Judice

Judice laico, Reus egredi nolit è loco immuni, hunc *ratione loci* puniendum docet ab Eccleſiaſtico Judice, qui ſecundùm Can. hoc officium non omittere, idq; ipſum Reus procurare omni ſtudio debeat, ut deinceps ab accuſatiõe, inquiſitione, & quocunq; judi io ſuper eodem crimine ſe reddat immunem: quod ultimum an & quomodo verum ſit *infrà n. 98. & ſeq.* dicetur. Et licèt paulò generaliùs loquatur *cit. c. Id conſtituimus* ibi: *ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi abſtrahere omnino non liceat, ſed nec alteri conſignare, niſi ad Evangelia datis Sacramentis de morte & debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri*, hic textus, juxta alios Canones, de pœnis afflictivis corporis eſt accipiendus.

96. Quod autem in Conc. Sardicenſi *can. 7.* ſuffragio communi decernitur: *quia ſæpè contingit, aliquos, qui egent miſericordiâ, ad Eccleſiã confugere, qui propter ſua peccata, vel rele-*

*gatione, vel in inſula deportatione dãnati, vel quâvis ſententiâ addicti ſunt, iis non eſſe negandum auxilium, ſed ſine cunctatione & dubitatione iis veniã eſſe petendam:* non ad hanc Eccleſiarum immunitatem localem pertinet, ſed ad interceſſiones Epiſcoporum aliorumvé Miniſtrorum Eccleſiæ pro Reis damnatis: in quo charitatis genere S. Ambroſium *epiſt. 17.* & S. Auguſtinum apud Poſſidium *in ejus vita c. 20.* excelluiſſe legimus: eademque de cauſa S Antonium frequenter de ſolitudine egreſſum refert Sozomenus *lib. 1. Hiſt. Eccl. c. 13.* quorum precibus ſæpè delatum fuiſſe à poteſtate laica, tum epiſtola Macedonii ad S. Auguſtinum, & hujus reſponſum *cit. n. 59. & 107* tum frequentiſſima exempla apud Eminentiſſimum Baronium *ad A. C. 398.* oſtendunt. Quod ſanctitatis officium cùm à Paulo Samoſatenſi apud Euſebium *lib. 7. Hiſt. Eccl. c. 24.* aviditate turpis lucri fœdatum fuiſſet, vileſcere paulatim

cœpit:

cœpit: cujus oblitterationis aliæ inſuper cauſæ poſſunt adjungi, una ex hoc ipſo Sardicenſi Canone, quam Oſius his verbis allegat: *Importunitas noſtra, & multa aſſiduitas, & injuſtæ preces effecerunt, ut nos nõ habeamus ſanctam gratiam & libertatem dicendi, quantam debebamus habere.* altera ex Paulino Presbytero *in vita S. Ambroſii*, ſic ajente: *Ambroſius ingemiſcebat vehementer, cùm videret radicem omnium malorum avaritiam magis magiſque creſcere in hominibus, & maximè in iis, qui in poteſtatibus erant conſtituti, ita ut interveniendi apud illos graviſſimus illi labor eſſet, qui omnia pretio diſtrahebant.*

97. II. *Immunitatis Eccleſiaſticæ localis effectus* paſſim, à Canoniſtis jactatur, quòd interim, dum Reus criminis non excepti moratur in loco ſacri Aſyli, damnandus non ſit ad mortem, vel aliam gravem pœnam corporalem *c. Inter alia 6. X. de immunit. Eccl.* ſed aliàs ſuper eo, quod

iniquè fecit, legitimè puniendus, pœnâ pecuniariâ videlicet, cum obligatione reſarciendi damna & intereſſe ei, in quem deliquit. Quamvis, ſi pecuniam non habeat, ut egreſſus ſatisfacere non poſſit ſententiæ, probabile judicetur à quibuſdam, eum tunc affici poſſe pœnâ quâdam corporali, non multùm tamen corporis afflictivâ: cùm tunc non per ſe, ſed quaſi per accidens, quia ſcil. in ære non habet, luere in pelle cogatur.

98. Verùm quiſquis verba Innocentii III. *non eſt violenter ab Eccleſia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam: ſed Rectores Eccleſiarum, ſibi obtinere debent & membra & vitam &c.* ritè conſiderat, eademque cum *fonte*, id eſt, cum *Concilio Moguntino & libro Capitularium Caroli M.* confert, ubi, ſicut & in vetuſtis & hodie emendatis Gratiani exemplaribus, ita legitur: *Reum ad Eccleſiam confugientem nemo abſtrahere audeat, neque inde donare* (non *damnare,*

*damnare* , ùt alicubi legebatur ante emendationem Decreti c. *Reum* 9. XVII. *q.* 4. ) *ad pœnam vel ad mortem: ut honor Dei & ſanctorum Eius conſervetur : ſed Rectores Eccleſiarum pacem & vitam, ac membra eius obtinere ſtudeant: tamen legitimè componat, quod iniquè fecit*, nullo labore intelligit, non improbari à S. Pontifice hodiernam conſuetudinem relatam à Delbene *to.* 2. *de immunit. c.*16. *dub.* 31. *nu.* 11. Antonello *de Regim. Eccleſ. Epiſcop. lib.* 1. *c.* 9. *nu.* 9. & aliis , quâ Judex ſecularis in caſibus non exceptis Reum Confugam inquirit , citarique facit, & contra non comparentem , juxta delicti menſuram etiam ad prolationem ſententiæ capitalis procedit , futurâ executione relatâ in caſû ceſſantis præjudicii Eccleſiæ per voluntarium Rei egreſſum ac ejus deprehenſionem extra metam Aſyli : quam uterque etiam comprobari poſſe cenſet ex eo , quòd hoc

modo Reus non damnetur, ut mor
vel alia gravis pœna corporalis ex
cutioni mandetur in Reum exiſten
in Eccleſia, ſed dum ei extra Aſylum
viis à jure ſacro non prohibitis con
ſtituto licitè poteſt inferri, adeo u
Innocentium III. Alteſerra in com
mentario perpetuo *in ſingulas hu
jus Pontificis Decretales per libr
quinque Decretalium ſparſas* ad cap
*Inter alia 6. de immunit.* ſic expli
cet: *Confuga liber* (non ſervus)
*non eſt per vim eripiendus ab Eccleſia,
nec indè rapiendus ad mortem vel pœ-
nã corporalem: Sed Rector Eccleſiæ pro
eo intercedere debet apud Iudicem, ne
morte vel membrorum fragio plecta-
tur, nec antè tradendus eſt, quàm in-
terpoſitâ ſecuritate de vita & mem-
bris.*

99. Durior proinde videtur eorum cenſura, qui judices laicos proferentes ſententiam capitalem vel corporis afflictivam, in ejuſmodi Reos intra Eccleſiam commorantes,

graviter

graviter carpunt, quòd diſpoſitionem juris ſacri minimè ſervent *in animarum ſuarum perniciem*: cùm ex demonſtratis nihil contra SS. Canones agant, & erronea ſit illorum opinio, qui ob ignorantiam antiqui Juris ac ſincerioris Hiſtoriæ autumant, punitum ab Eccleſiaſtica poteſtate per hoc præcisè animadverſioni Curiæ ſecularis ſubduci: nec enim oppoſitæ ſunt pœnæ temporales & ſpirituales: ſed cùm ſecundùm diverſum agendi modum ac finem hæ ſanent, illæ terreant, conſtat Reos olim, poſt toleratam pœnam civilem, ſeu pecuniariam, ſeu corporalem, ſi vita ſupplicio corporali ſuperſtes erat, Pœnitentiæ publicæ ad obtinendam animæ ſalutem, & quandoque, poſt actam Pœnitentiam publicam, pœnæ temporali, ad aliorum exemplum, ſubjectos: immò occaſione trucidationis cujuſdam Antiſtitis, ab Epiſcopis Germaniæ & Galliæ in Theodonis villa congregatis, Imperatorem inſtan-

ſtantiſſimè rogatum fuiſſe, ut pœnæ ſpirituali ab ipſis injunctæ pecuniariam multam adjungeret, hocque decretum ſupremâ authoritate ſuâ confirmaret apud Morinum *de adminiſtrat. ſacram. Pœnit. lib. 7. c. 5. &* [illegible] Quo eodem errore ſub Joanne IX. irretiti quidam contendere impudenter & jactare viciſſim præſumpſerant: *Nihil pertinere ad Epiſcopum, quæ publico examinata & redempta dignoſcuntur* : repreſſi per Concilium Romanum ſub eodem S. Pontif. A.C. 904. habitum *Can. ultim. Habeant Epiſcopi ſingularum Urbium in ſua Diœceſi liberam poteſtatem, adulteria & ſcelera inquirendi, ulciſcendi, & judicandi ſecundùm quod Canones cenſuerunt, abſque impedimento alicujus: & cùm opus fuerit, ad comprimendos rebelles & contemptores publicum placitum convocent, N. B. non ad præjudicandum, ſed potius ad ea, quæ Deo placita ſunt, & ſaluti animarum conveniunt, proſequendum.* Ob crimen

igitur,

igitur, quod in utroque foro vindicari ſolet, non modò nihil vetat, delinquentem ab Eccleſiaſtico Judice punitum, inſuper puniri à judice ſeculari, ſed & ipſi Canones duplicis ejuſmodi Coercitionis exempla ſuppeditant c. *ſtatuimus* 1. X *de Maledic.* c. *felicis* 5. ibidem *per hoc quoq; ſecularibus poteſtatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adverſùs ſacrilegos Catholici Principes ediderunt &c. de pœn. in 6.*

100. Æquivocationem verò quorundam exinde ortam conjicio, quòd cùm Religioſi quidam Imperatores Chriſtiani animadvertiſſent ardentiſſimum in componendis ſuaviter fidelium ad Epiſcopos veluti Paſtores recurrentium controverſiis ſtudium, ac amore boni publici plurimùm hâc celeri ac ſincerâ complanatione promoti, conceſſiſſent Epiſcopis, exemplo Conſtantini M. de quo Sozomenus *lib. 1. hiſt. Eccl. c. 9.* ut voluntariè electi à partibus, cauſas etiam profa-

nas

nas cognoſcerent, quin ab eorũ ſen
tentiis provocare liceret L. *Epiſ*. 8. C.
*de Epiſ. audien.* ob reverentiam ſanctiſ
ſimis Epiſcopis debitam: cujus favo
ris ultrò delati Epiſcopis S. Auguſt.
quoque in *Pſ.* 25. meminit: *Principes
ſeculi tantum detulerunt Eccleſiæ, ut
quicquid in ea judicatum fuerit, diſ-
ſolvi non poſſit*: aliqui non rectè di-
ſtinguentes, quatenus eſſet ſtandum
Epiſcoporum ſententiis, eorum in
ſpiritualibus etiam judicium adeo
cenſuerint efficax, ut per irrogatas
ſemel pœnas Eccleſiaſticas, omnis ul-
terior in foro ſuo adversùs eundem
Reum ſæviendi facultas Judicibus ſe-
cularibus (contra expreſſam Cano-
num mentem) ſimul eſſet adempta.
Præterquàm quòd olim crimina quæ-
dam, ùt uſuræ, fornicationes Mono-
machiæ, ebrietas &c. à Magiſtratu
temporali punita non fuerint, adver-
sùs quæ per Leges Eccleſiaſticas, ſi
publicè contigiſſent, pœnâ Canoni-
câ ſemel ſuſceptâ, cùm ex parte ſecu-
laris

laris Curiæ contra talium Reos nihil ampliùs decerni conſueviſſet, aliquorum forſitan mentem hæc falſa perſuaſio ſubiit, per caſtigationem Eccleſiaſticam authoritati ſeculari, reſpectu puniendi ejuſdem delicti, penitus derogatum fuiſſe.

101. Ubi denuò notandum eſt obiter, cùm animadverſiones Eccleſiaſticæ in quoſcunque facinoroſos non à ſpiritu ambitionis, ſeu deſiderio extendendæ authoritatis propriæ cum diminutione juriſdictionis profanæ, ſed à ſolo procurandæ ſalutis omnium ſtudio, & ex affectû paterno ad eliminanda è ſuis Diœceſibus crimina olim profluerent, eas non ſolùm non impeditas, nec in ſuſpicionem adverſam tractas fuiſſe; ſed & Reges ac Principes ipſos feciſſe nonnullos, qui Cenſuris ad Canonicam ſatisfactionem compelli non poterant, per Judices publicos ad Epiſcoporum præſentiam, & obſequium iis reddendum deduci: ſique

Comi-

Comites aut eorum Miniſtri detre-
ctâſſent auxilium, aut negligentes ap-
paruiſſent, horum quoque inobedi-
entiam non manſiſſe inultam, ùt pa-
tet ex diverſis Capitularibus relatis à
Morino *cit. l. 7. cap. 5.* quò dum cu-
rioſum Lectorem remitto, amore
tranquillitatis & concordiæ illud ex
Theodoreto *lib. 5. Eccl. hiſt. cap. 39.*
ſubjungo, cavendos eſſe intempeſti-
vos contra laicam poteſtatem inſul-
tus: *Nam Divus Apoſtolus cùm Athe-
nas venisſet & vidiſſet civitatem obno-
xiam eſſe cultibus ſimulacrorum, nul-
lam aram, quam ipſi venerarentur,
ſubvertit, ſed oratione & ignorantiam
illorum reprehendit, & docuit verita-
tem*: quid facturus, ſi de everſione
aut diminutione legitimæ illorum
poteſtatis agendum fuiſſet?

*102.* In criminibus mixti fori ita
diſtingui ceptis, ex quo modus pub-
licè adverſus crimina procedendi in
Eccleſia ad proceſſuum civilium mæ-
andros detortus fuit, quale eſſet fur-
tum

tum in Eccleſia commiſſum, tanquã ſacrilegium, multi DD. apud delBene *de immun. p.2. cap. 16. dub. 24. ſect. 8. num. 12.* exiſtimant poſſe delinquentem in Eccleſia præventivè capi à Miniſtris Eccleſiaſticis; & vel juridicè puniri, in ſententia eorum, qui volunt per immunitatem Eccleſiæ non ligari manus Judicis ſacri; vel obtentâ priùs juxta *cit. can. Id conſtituimus.* juratoriâ cautione de illius ſalute quoad vitam, & corporis pœnam, tradi Curiæ ſæculari: cùm ejuſmodi reus *ob qualitatem mixti fori* non capiatur authoritate poteſtatis laicæ, ſed Eccleſiaſticæ, cui ex modò dictis Eccleſiarum immunitas in quorundam opinione non præjudicare videtur. At ſi conſtitutionem Gregorii XIV. exactè perpendimus, ubi ex delictis intra Eccleſiam commiſſis nullum aliud excipit, quàm *mutilationem membri, & homicidium:* poſt illam, ne violetur immunitas loci ſacri, in caſibus non exceptis etiam

mixti

mixti fori, ſi Judex Eccleſiaſticus e-juſmodi criminis reum poteſtati laicæ puniendum conſignare intendat, ultra cautionem præfatam neceſſe eſt, ut non solùm Eccleſiæ, ſed ipſius etiam delinquentis ſpontaneus conſenſus concurrat: quo deficiente li. ėt ſæcularis Judex quamcunque ſecuritatem deſiderabilem offerat, aut actu præſtet de impunitate, Confuga tamen reluctans ac invitus ei ab Epiſcopo tradi non poteſt, ùt *num. 169.* rurſum dicetur.

*103.* Si verò circumſtantiæ criminis ſeu mixti, ſeu cujuslibet alterius non excepti, Confugæ ejectionem ac publicam caſtigationem authoritate ſæculari faciendam exigerent, monet Farinacius *de immunit. cap. 13. num.* 185. talem ab Epiſcopo (imploratâ etiam cuſtodiâ ſæculari apponendâ extra diſtrictum immunem) ritè cuſtodiendum eſſe, donec obtineatur reſolutio à S. Pontifice reddito certiore, cujus deinde

juſſibus

juſſibus ſtabitur: & præſcindendo ab hoc caſu generaliter (ne criminoſi & eorum crimina defendi videantur) quantum erit in Eccleſiis, illud curabitur, ne Confuga dimittatur impœnitens, & quin, ſi non cum juſtitia publica, nolente forſitan ei per Eccleſiam inſtanti præſtare ſecuritatem de vita & membrorum integritate; cum parte ſaltem læſa componat. Et beata nimis Reſpublica, ſi Confugæ, authoritate & beneficio Eccleſiæ liberati à morte, non priùs egrediendi libertatem acciperent, quàm Deo reconciliati ac verè pœnitentes exiſtimarentur: de quo fuſiùs *infrà nu. 154. & ſeq.*

104. III *Localis Eccleſiaſticæ immunitatis effectus* eſt, quòd nequeat impediri delatio neceſſarii victûs ac veſtitûs, & id omne quod naturæ neceſſitas exigit: multò minùs Confuga intra ipſammet Eccleſiam durè tractari *can. ſicut antiquitus 6. can. Miror. 8, Frater 10, can. Definivit. 35.*

XVII.

XVII. *q.* 4. *l. Præſenti* 6. *C. de his, qui ad Eccl.* circa quod Oſtienſis ad *cap. Inter alia* 6. *num.* 1. *in fin.* X. *hoc tit.* & *à Principibus & ab Epiſcopis* ſubinde delinqui advertit: ab illis quidem, nimium vexando quandoque obſeſſum in Eccleſia, eique veſtes, victum ac requiem denegando: ab his, ſi confugas quantorumcunque gravium ſcelerum reos ſalvare nituntur in totum, cum læſione juſtitiæ publicæ pariter ac privatæ. Non dicitur autem vexari reus, nec obſideri locus ſacer, aut aliquid ejus immunitati contrarium ſuſcipi, ſi Judex ſæcularis extra illum apponat cuſtodiam, ad obſervandum locum profanum, & ut capi poſſit ibidem reus, ſi quando forſitan ex immuni loco ſponte recedat.

105. Quod ſi tamen poteſtas laica per vim injuſtam delationi neceſſariorum obſiſteret, vel ſimpliciter inops Confuga de proprio, aut abegentibus amicis vel conſanguineis ſui

ſuis interim ali nequiret, ſuadet Imperator Leo *l. Præſenti 6. §. ſanè C. de his qui ad Eccl. confug.* eum ſuſtentari expenſis Eccleſiæ, cujus videlicet protectioni commiſſus non ita derelinquendus eſt, ut inediâ coactus ſe tradat Judici ſæculari. *Farinac. de immunit. cap. 19. num. 296.* commonitis etiam in publica concione, vel alio modo, fidelibus, ut ſciant, ſe ad ſubveniendum extremè indigenti, juxta dicenda *num. 154.* ex lege charitatis obſtringi. Quod ſi non deſint ei bona, ex quibus ali poſſit, ſed ea modò præſto non ſint, nec quiſquam ſuccurrere velit, aut valeat: Eccleſia præſenti tantùm neceſſitati mederi tenetur, adeò ut Confuga obſtrictus maneat ad reſarciendos ſumptus pro ſe factos, ne Eccleſia ex beneficio præſtito grave patiatur detrimentum. Quod ſi denique pauper, & validus fuerit, à Rectoribus Eccleſiæ in compenſationem modici victûs adigetur ad impendendam interim Eccleſiæ



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vel Monaſterio intra ſpatium immu-nitatis operam ſuam, ſi tamen eam præſtare poſſit ac ſoleat, del Bene *de immunit. p. 2. c. 16. dub. 19. nu. 4. & ſeqq.* ne privilegium immunitatis ad otiandum deſervire contingat.

106. Et quoniam plerumque enormium criminum Rei loca immunia petere ſolent, ut Eccleſia non minorem pro ſalute animæ, quàm pro eorundem vita & corporibus curam oſtendat: primâ animi perturbatione (quæ tales comitari ſolet) ſubmotâ, exaggeranda eſt immenſa Dei bonitas ipſis nihil minùs ob vitæ ſuæ pravitatem merentibus per impertitionem Confugii præſtita, nec eximendus illico ex eorum animis timor omnis pœnæ: qui, pro multiformi Divinæ Providentiæ ordine, jam tunc criminum horrorem imprimere, & ad meliorem vitam ſtimulare quadantenus incipit, quando anima terrenarum cupiditatum ſordibus ac tenebris adhuc immerſa caligat ad lumen Chriſtianæ juſtitiæ & faſcina-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tio nugacitatis *Sapient. 4. v. 12.* bonum obſcurat: cùm enim natura in hoc ſtatu vehementiùs averſetur dolorem corporis afflictivum, quàm voluptatem concupiſcat, ùt vel in ipſis quoque brutis animantibus experimur, quæ ùt ùt prona in ſuas libidines, doloribus tamen & cruciatibus indè abſterreri videmus: dumque pœnæ metus ipſi carni ſuffragatur quodammodo, ac ei de modo arcendi à ſe pœnas æternas, ſeq; per opem Divinæ Clementiæ etiam liberandi à pœnis præſentibus proſpicit, homo carnalis tantò lubentiùs illud omne ex animo ejicit, quod inclinationi & conſenſui ad recipiendam à Deo juſtitiam, & conſequendum unâ cum hoc verum ac ſolidum bonum obſiſtit.

107. Quò reſpiciens S. Auguſtinus in *cit. nu. 58. epiſt. 54* Macedonio ita reſpondet: *Jam vides igitur de Religione deſcendere, nec nos ſocietate criminum obſtringi, quod intercedimus*

*plerumque etiam pro ſceleratis. &c. Nec ideo ſanè fruſtra inſtituta ſunt, poteſtas Regis, jus gladii cognitoris, ungulæ Carnificis, arma militis, diſciplina Dominantis, ſeveritas etiam boni Patris. Habent iſta omnia modos ſuos, cauſas, rationes, utilitates. Hæc cùm timentur, & coercentur mali, & quietius inter malos vivunt boni, non quia boni pronuntiandi ſunt, quia talia metuendo non peccāt (non enim bonus eſt quiſpiā timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ) veruntamen non inutiliter etiam metu legum humana coercetur audacia, & ut tuta ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis, dum formidato ſupplicio frenatur facultas, invocato Deo ſanetur voluntas.* Per quæ verba poſtrema S. Auguſtinus monet, ne Eccleſia nimiâ facilitate admittendi confugas, eoſdemque incorrectos ſubducendi juſtitiæ, ſe criminum reddat participem, utrumque curandum eſſe, tum ut componant, vel aliàs, ſalvis vitâ ac membris,

puniantu

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

puniantur legitimè, niſi indeliberatio vel nimia infirmitas, ùt dixi *num.* 67. veniam in foro profano ex integro poſtulari poſſe conceſſerit; tum ut , qui præcipuus immunitatis Eccleſiaſticæ ſcopus eſt , non manus tantùm, ſed & conſenſus à peccando deinceps retrahatur.

108. Quod cùm olim à quibuſdam Epiſcopis, aliiſve perſonis Eccleſiaſticis in debitoribus Confugis , cum creditorum damno, minimè obſervari contigiſſet, Theodoſius M. Imperator *L. 1. Cod. Theod. de his qui ad Eccl.* ſanxit , ut extenſo etiam ad hos jure confugii, ſi quando ad Eccleſiam debitores confugerent, Epiſcopi aut illos conteſtim extraderent , aut pro iis , quos occultâſſent , æs alienum perſolverent: cujus Legis vigore idem S. Auguſtinus aliquando compulſus ſolvere Faſtii confugæ alieno ære obruti debitum, pro ejus exolutione per *epiſt.* 215. collectam in fideli populo faciendam indixit: *Cum Fra-*

*ter noſter Faſtius* debito decem & ſeptem ſolidorum ab oppignoratoribus urgeretur, ut redderet, quod ad præſens, unde explicaret ſe, non inveniebat, ne corporalem pateretur injuriam, ad auxilium ſanctæ Eccleſiæ convolavit: illi etiam Exactores cùm proficiſci cogerentur, & ideò dilationem dare non poſſent, graviſſimis me querelis oneraverunt, ita ut eis illum traderem, aut quod ſibi deberi oſtendebant, unde acciperent, providerem. Cùmque obtuliſſem Faſtio, ut veſtram ſanctitatem (plebem fidelem) de neceſſitatibus ejus alloquerer, pudore deterritus, ne facerem deprecatus eſt. Ita ego majore neceſſitate coarctatus à Fratre noſtro Macedonio decem & ſeptem ſolidos accepi, quos in cauſam ejus continuò dedi, promittente illo, quòd ad certum diem cum eis reddendis poſſet occurrere, & conſentiente illo, ut, ſi non poſſet occurrere, ſermo de illo fieret ad veſtram miſericordiam, quam fraternam fratribus exhibere conſueviſtis.

Nunc

*Nunc ergo quoniam abſens eſt, reſtat ut ſubveniatis, non illi, quem nemo compellat abſentem, ſed pollicitationi meæ, cujus exiſtimatio Urbi ſemper eſt præſens. Jam enim dies, ad quem ſe promiſerat occurſurũ, tranſactus eſt, & ego ei, qui ſolidos ſuos fidei meæ commiſit, quid reſpondeam non invenio, niſi ut faciam, quod me facturum eſſe promiſi. Sed quoniam non ſum de hac re commonitus, ut die Pentecoſtes, quando aderat major veſtra frequentia, ſermonem inde facerem, peto ut has litteras pro lingua mea præſente habere dignemini &c. Scripſi etiam Presbyteris, ut, ſi quid minus fuerit poſt collationem Sanctitatis Veſtræ, compleant ex eo, quod habet Eccleſia, dum tamen vos, ſecundùm quod placet, hilariter offeratis: quia ſive de veſtro, ſive de Eccleſia detur, omnia Dei ſunt, & devotio veſtra dulcior erit theſauris Eccleſiæ, ſicut Apoſtolus dicit:* non quia quæro datum, ſed requiro fructum.

# DISSERTATIO IV.

## *De Locis gaudentibus Eccleſiaſtica Immunitate.*

109. DE *primis Chriſtianorum Eccleſiis & ubi fideles, tempore perſecutionum, ſacra ſua celebrârint.*

110. *Ius ſacri Aſyli non quæſitum à primis Chriſti fidelibus apud Principes infideles.*

111. *Quare primi Fideles ab Imperatoribus Ethnicis, impetrato licito Eccleſiarum uſu, non petierint, nec obtinuerint ab iiſdem in Eccleſiis ſibi permiſſis Ius Aſyli?*

112. *Uſus immunitatis localis Eccleſiarum ſtabilitus à Conſtantino M. Imperatore.*

113. *Inculcata olim Chriſtianis declinatio Iudicii coram Paganis.*

114. *Quomodo Eccleſia, tempore Principum Ethnicorum, conſuluerit fidelium immunitati, ac, quo ad licuit, impunitati.*

11

115. De partibus conſtituentibus Eccleſiæ fabricam: ac primò de Atrio & ejus uſu.
116. De Narthece.
117. De Nao, ſive ipſo templo.
118. De Sanctuario.
119. De duplici ſecretario.
120 De varia aſſervatione SS. Eucharistia
121. Proſecutio argumenti de loco cuſtodiæ ejuſdem.
122. Multi fideles non communicâ-runt olim quotidie pro quibus, & aliis, in caſum repentinæ neceſſitatis, alicubi decenter aſſervanda fuit Euchariſtia.
123. Specialis olim S. Baptiſterii locus, ac ejus ſanctitas.
124. De Cæmiteriis.
125. Sepulturæ, apud pleraſque gentes, cura atque religio.
126. Multo magis apud Chriſtianos.
127. Unde nata conſecratio, ſeu benedictio Cæmiteriorum.
128. De Hoſpitalibus, ſimilibuſque lo-

*cis pertinentibus ad Religionem.*

129. *Primi fideles maximè hoſpitales, etiam erga infideles.*

130. *Epiſcopium commune hoſpitium Chriſtianorum.*

131. *Cauſa erigendorum in magnis Urbibus Hoſpitalium.*

132. *De Monaſteriis & Eremis.*

133. *De origine Eremitarum & Cœnobitarum, eorundemque in diverſis mundi partibus introductione.*

134. *Quomodo propria oratoria, ac tandem veras Eccleſias habere cœperint.*

135. *Tempore Conſtantini M. Ius Aſyli SS. Altaribus competiit.*

136. *Extenſio Iuris Aſyli ſub Imperatoribus ſubſecutis, uſque ad tempora Leonis Thracis.*

137. *Immunitas localis hodie competit Eccleſiis: quarum nomine hic plura comprehenduntur.*

138. *An confugientibus ad ſacerdotem, qui defert SS. Euchariſtiam?*

139. *Sacella & Oratoria publica gaudent*

*dent immunitate.*

140. *Secus eſt de Oratoriis privatis.*

141. *Cœmiteriis competit jus Aſyli.*

142. *Similiter Xenodochiis & aliis piis ejuſmodi domibus Epiſcopali authoritate erectis.*

143. *Item Palatio Epiſcopali.*

144. *Quid hodie Romæ de Palatiis Cardinalium, & Oratorum: & de quibuſdam Aſylis profanis.*

145. *Quid de Monaſteriis & Eremis?*

146. *De privatis ædibus Tertiariorum, Oratoriis Confraternitatum, Monaſteriis Monialium, Sacerdote deferente S. Oleum, & Baptiſteriis.*

109. AB ipſis quidem temporibus Apoſtolorum inveniuntur loca Deo vero dicata fuiſſe, ubi, quantùm per truculentos fidelium perſecutores licebat, populus ad orandum, Verbum Dei audiendum, agendam ſynaxim, ſumendamque Euchariſtiam convenire conſueverat, teſte

teſte S. Paulo, *1. Cor. 11. v. 18. Convenientibus vobis in Eccleſia*, prout hunc locum S. Aug *q. 5. 7. in Levit.* appoſitè declarat his verbis : *Eccleſiam vocari etiam ipſam domū orationum, Apoſtolus teſtis eſt*, ubi ait : nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis? *Et hoc quotidianus loquendi uſus obtinuit, ut ad Eccleſiam confugere non dicatur, niſi qui ad locū ipſum parieteſq́; prodierit, vel confugerit, quibus Eccleſiæ congregatio continetur.* Pro cujuſmodi quidē conventibus, antequàm licuiſſet Baſilicas inſignes ac novas erigere, ſerviiſſe ampliores certarum domuū aulas in locis ſuperioribus conſtitutas, ac ideò dictas *Cœnacula*, ſive *Cœnationes*, hoc eſt, partes excelſas domûs, S. Lucas *Act. 1. v. 13. & Act. 20. v. 8. & 9.* manifeſtat. Tum prohibitis Chriſtianorum conventibus, quemlibet locum, cryptas, agros, ſolitudines, naves, ſtabula, carceres, fidelibus ad peragendos Sacros conventus, inſtar

Tem-

Templi fuiſſe Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium *L. 7. Hiſt. Ecel.* affirmat. Alias verò ſubinde jam ante Conſtantini M. imperium erectas fuiſſe Eccleſias apud Tertullianum *de Iodol. c. 7.* Origenem *homil. 11. in Numeros*, Anaſtaſium Bibliothecarium *de vitis Rom. Pontif. in S. Evariſto* comperimus: ſique nullum aliud argumentum ſuppeteret, certiſſimam hujus rei fidem facerent relata ab Euſebio *L. 8 Hiſt. Eccl.* Edicta Imperatorum Gentilium de Chriſtianorum Eccleſiis demoliendis. Et refert Lampridius *in Alexandro*, quòd hic Imperator educatus à Matre Chriſtianæ Religioni propenſa, Chriſto, cujus imaginem jam priùs coluerat in ſuo Larario, erectionem Templi Romæ, ſicut & antea pluribus in locis Hadrianus, deſtinaverit, atque cùm id commodè non poſſet Ipſe, Popinariis locum publicum à Chriſtianis occupatum ad conſtruendam ibi Eccleſiam repetentibus, reſponderit: *Sa-*

*tius eſſe, ut quomodocunque coleretu illic Deus, quàm ut Popinariis dede retur.* Quem quidem locum Em. Baronius *ad* A. C. 224. arbitratur eſſ illum trans Tyberim poſitum, in qu ſub Auguſto erat *Taberna meritori* oleo ibidem ſub Redemptoris ad ventum ubertim è terra ſcaturiens inſignis, ubi Chriſtiani, poſt Alexandri ſententiam, ſub S. Caliſto Papa erexerunt in honorem Virginei partûs, *Ecclesiam S. Mariæ trans Tyberim*, non extante memoriâ, aliam ſub hoc Imperatore Romæ excitatam fuiſſe.

110. Verùm quamquam hujuſmodi Sanctuaria cultum omnem, ac reverentiam, *etiam voluntariam ac poſſibilem*, in Dei honorem, apud Chriſtianos ſemper & ubique meruerint: quemadmodum tamen, ùt *ex Actis Apoſtolorum c.25.v.10. Rom 13. ad Tit. 3. & 1. Pet. 2.* ac aliunde conſtat, Apoſtoli & Ecc leſiaſtici viri non ſolùm inſtigârunt continuò quoſque fideles

les ad debitam Magiſtratibus obſervantiam deferendam; ſed & Ipſi ſimiliter in rebus haud repugnantibus fidei paruêre Principibus Ethnicis, utpote non laturis, quoſcunque de Clero aut Cœtu fidelium, Chriſtianæ Religionis obtentu, à Juriſdictione ſua ullatenus eximi: ita nec ſub iiſdem jus Aſyli ſacri pro Eccleſiis prætendendum, procurandumve putârunt, ne vel apud Principes Chriſtianiſmo non adverſantes periculoſam ſibi conflarent invidiam, vel Imperatores infenſos, horumque Miniſtros, & idololatram populum magis contra ſe concitarent, ad quos Tertullus Orator *Act.* 24. *v.* 5. S. Paulum velut hominem peſtiferum & ſeditionum concitatorem detulerat: cùm antè primi Judæorum ac Herodianorum *Luc.* 23. *v.* 2. & *Ioan.* 19. *v.* 12. Chriſtum ipſum ejuſdemmet criminis inſimulâſſent. Ad quam calumniam à ſe planè arcendam tum S. Paulus 2. *Theſſalon.* 2. *v.* 3. ùt in eum

locum

locum notat S. Chryſoſtomus; tum S. Joannes *Apocal.* 17. *v.* 16. ùt obſervat S. Hieronymus *epiſt.* 151. *ad Algaſiam q.* 11. de univerſali gentium defectione à Romano Imperio, & de deſolatione Urbis Romæ, obſcurè locuti ſunt: ac horum exemplô, Chriſtiani quondam de Sacramento Chriſmatis ex inſtitutione Divina renatos armantis & roborantis ad pugnam ſpiritualem contra fidei hoſtes tum internos ac inviſibiles, tum externos (unde apud Antagoniſtas Ethnicos conteſſerationis contra Rempublicam damnoſa ſuſpicio naſci poterat) circumſpectiſſimè tractandum, ſive ut phraſi Euſebii *Lib.* 8. *demonſtr. Evang. c.* 1. utar, ænigmatizandum exiſtimârunt: tametſi ad Tertulliani uſque tempora nullus unquam Chriſtianus inveniri potuerit hâc labe corruptus, ùt idem *Lib. ad ſcapulam c.* 2 aſſeveranter repoſuit; idque Apologiæ S. Juſtini M. Athenagoræ, Tertulliani, Origenis, Arnobii &c. comprobârint.

111 Et ne quis forſan autumet, ùt erectiones Baſilicarum, ſic & præfatas earundem prærogativas ab Imperatoribus minùs averſis, ùt Alexandro, Hadriano &c. potuiſſe modeſtis precibus obtineri: is, non obſtante Alexandri Mammeæ bene affecto erga Chriſticolas animo, peſſima ex adverſa in eoſdem Ulpiani præfecti prætorio, aliorumque Imperatorum gentilium in præcipuis muneribus ac provinciarum præfecturis collocatorum ſtudia recolat, tota in eo, ceu refert Lactantius *L.* 5. *de Divin. inſtit. c.*11. poſita, ut nefaria contrariorum unquam Chriſtianis Principum reſcripta colligerent, & ex iiſdem Jure in illos, tamquam de ſeditioſis moliminibus traductos, agi probarent: Unde contigit, ut ſub hoc ipſo Principe, ſævientibus in Chriſtianos Miniſtris, quibus infeliciter Imperii curam commiſerat, fideles magnam ubique cladem, ac inter cæteros S. Caliſtus, & S. Urbanus

nus Romani Pontifices, S. Cæcilia V. unà cum ſponſo & affine, S. Martina Virgo Romana, S. Hippolytus Portuenſis Epiſcopus &c. mortem ſubierint. Et licèt Hadrianus, referente Lampridio, in omnibus penè Civitatibus Templa ſinè ſimulacris ad hoc fieri juſſerit, ut in iis Christi ſtatuam opportunè reponeret, & tum à Serenio Aſiæ Proconſule de injuſta ſuorum in Chriſtianos ſævitia monitus; tum oblatis ſibi pro aſſerenda eorundem innocentia à Quadrato Athenarum Epiſcopo, & Ariſtide Chriſtiano Philoſopho libris commotus, miſſis ad diverſos provinciarum Præſides apud Euſebium *L. 4. Hiſt. Eccl. c. 25.* Imperialibus decretis, illos nullius veri criminis reos damnari vetuerit: prohibitus tamen à ſuis, ut addit *cit.* Lampridius *in Alexandro, qui conſulentes ſacra, repererant, omnes Chriſtianos futuros, & Templa reliqua deſerenda, ſi id optatò veniſſet*: à propoſito deſtitit, nec,

nec, ut ex Zonara *in Hadriano* memorat S. Hieronymus *epiſt.* 13 *ad Paulin.* erectum ſuo tempore Jovis ſimulacrum in loco Reſurrectionis Dominicæ, marmoream Veneris ſtatuam in rupe Calvariæ, & inſtitutum in Bethlehemitica ſpecu meretritium Adonidis cultum ſuſtulit: quæ per annos circiter 180. ab Hadriani temporibus uſq; ad Imperium Conſtantini perdurarunt: *exiſtimantibus perſecutionis authoribus, quod tollerent nobis fidem reſurrectionis & crucis, ſi loca ſacra per Idola polluiſſent*: nec ceſſavit illico per ejuſmodi decreta perſecutio, ſub prætextu impactorum Chriſtianis per novas calumnias plurium criminum, quæ à Judicibus ipſis libenter audita advertit *ad* A. C. 128. Em. Baronius, ne ab inchoata ſemel barbarie deſiſtere compellerentur.

112. Ante pacem itaque per Conſtantinum M. Eccleſiæ redditam, nullus fuit inter Chriſtianos immunita-

tis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tis localis uſus in eorum Templis quæ per modò dictum Imperatorem, juxta Religionis, Chriſtianæ Charitatis, & Imperialis Clementiæ dictamen, ſtabilita primùm fuit, ùt ſupra *n.66. & ſeq:* vidimus, & confirmata per ejuſdem ſucceſſores, atque ab ipſa Eccleſia (cujus per Religioſam ejuſmodi ceſſionem irrevocabiliter effecta fuerat propria) variis ſanctionibus atque cenſuris communita. Et quanquam S Paulus *Act.25.v.10* dicendo: *ibi me oportet judicari*, non expreſſo nomine Judicis, cautè his verbis uſus videatur nonnullis, ne Cæſarem profiteretur Judicem perſonarum aut rerum ſacrarum: *Appellatio* tamen ejuſdem *v.11* ſubjuncta: *Cæſarem appello* (ut ſcil. ſeditionis notam à ſe & ab Eccleſia univerſa repelleret, de Jure & facto, ùt loquitur Em. Bellarminus *L.2. de Rom. Pontif. c. 29.* ei, utpote per legem Chriſtianam non privato Jure ſuo, ſe ſubjectum oſtendens, atque juxta oracu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

oraculum *Act.23.v.* 11. divinitus acceptum, hâc occaſione Urbem Romam accederet) aliud, & id quidem in iis rerum circumſtantiis neceſſarium indicat, ut Judæorum ac concitatorum ab iſtis Gentilium calumnias impavido ejuſmodi recurſu compeſceret, eâque appellatione, ſecundùm Divinæ Providentiæ ordinem, vel demulceret Neronis animum, & Chriſtianis conciliaret, vel Martyrii ſibi Romæ inferendi famâ per orbem diffusâ Chriſtiani nominis gloriam propagaret.

113. Quod autem conſervandæ illæſæ Chriſtianorum exiſtimationi & impunitati maximè conducturum videbatur Apoſtolo, erat inculcata fidelibus morum integritas & charitas mutua: cujus ardore forſitan tepeſcente in quorundam cordibus, vel ſubnaſcente minùs regulato erga res temporales affectu ſi qui inter ſe contendendum, nec temporale diſpendium potiùs, ad fovendam Chri-

ſtianiſmi tranquillitatem, vel evitanda ea, quæ plerumque naſci ſolent ex litibus, ſcandala, ferendum putarent, hortabatur 1. *Corint.* 6. *v.* 1. ne Gentilem Judicem experiri præſumerent: *audet aliquis veſtrûm, habens negotium adversùs alterum judicari apud iniquos* (*Gentiles*) *& non apud ſanctos* (Chriſtianos) ſed viliſſimos quoſque potiùs ex Chriſtianis de cauſis ipſorum ſecularibus cognituros, vel compoſitionis medium inventuros eligerent *v.* 4 *ſecularia igitur Iudicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum*: adeò quidem ut, ſi quis fidelis contra fratrem recurriſſet ad Judicem Ethnicum, meritò reprehenderetur ab omnibus, & deteſtabilis, parumque ſollicitus de quieto ſtatu ac honore fidelium haberetur.

114. At ſi quorundam crimina publicam Magiſtratûs profani vindictam in eorum caput & vitam exigerent,

gerent, quæ celari tamen poſſe videbantur, tales, diſciplinæ, curandæ-ǵque Reorum ſalutis æternæ ſtudiô, pia Mater Eccleſia, citra publicam criminis enuntiationem, pœnitentiæ legitimæ, veluti ſpontè accedentes, ſubdidit, ut & lapſos ſanctitati reſtitueret, & ſimul hâc viâ obviaret periculo capitis, juxta cautionem in ejuſmodi delictorum capitalium Reis ſemper adhibitam, teſtibus S. Baſilio *epiſt. ad Amphiloch. c.* 34. S. Auguſtino *ſerm* 16 *de Verb. Dom.* S. Leone P. *Epiſt*, 80. quâ commiſcebantur cum pœnitentibus ſpontaneis *qui tantum ſe peccatores prædicantes*, ùt habet Concilium Toletanum IV. *Can.* 53. nullâ præviâ delictorum enormium confeſſione publicâ, vel convictione, omnes pœnitentium gradus unâ cum publicè confeſſis, aut convictis decurrebant, quin eapropter in ſuſpicionem fundatam commiſſi criminis adduci potuerint, nec ob præſumptum in ipſis majoris perfectionis

dum-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

duntaxat, ac ædificationis populi deſiderium, à ſuſceptione ſacrorum ordinum, velut alii ob delicta publica pœnitentes, fuerint unquam excluſi. Unde luculenter infertur, procurandæ inter Ethnicos fidelium *immunitati*, ſeu potiùs *impunitati* (ſalva Martyrii gloriâ) non aliter, quàm per declinationem quorumq; motui adversùs ſtatum publicum, ac innocentiam vitæ conſultum: in Eccleſiis verò, ſeu Chriſtianorum conventibus, quantum per ſæva illa tempora licuit, legitimæ pœnitentiæ rigorem, citra reſpectum ad locum ſacrum, ita fuiſſe exercitum, ut peccatores publici, poſt publicam delicti confeſſionem, ſalutaris pœnitentiæ jugo collum ibidem ſubmitterent: occulti verò, niſi aliud videretur Pœnitenti ſimul ac Epiſcopo, ſicut & Pœnitentes ſpontanei, ac ii, quorum capiti ex detecto ſcelere apud Curiam ſecularem, vel alibi, ùt adulteræ conjugi, cum Eccleſiæ ſcandalo, atque dede-

core

core, metui poterat, abſque ulla ſpeciali propalatione peccati, ad publicam pœnitentiam admitterentur. Quibus ita ſuppoſitis, modò videndum eſt, quænam loca à Conſtantini tempore hâc immunitate locali donata olim fuerint, & quænam eâdem hodie gaudeant?

115. Et primò quidem acturos de *Templis* ac *Altaribus* ipſis, prænoſſe oportet, plures olim fuiſſe partes conſtituentes, illarum ſaltem Eccleſiarum, quæ ob frequentiam hominum vocabantur *Baſilicæ*, fabricam, ſcil. I. *Atrium* amplum, & quadratum, in fronte ſacræ Ædis ſub dio poſitum, & à cæteris tribus lateribus convenienti pariete cinctum, cum porticu ante ipſiuſmet Eccleſiæ aditum longitudine ſuâ hujus latitudinem adæquante, ſub qua pœnitentes primi gradûs, dicti *Flentes*, in ſacco & cinere, extra Templi limen ſeparati ab omnibus pietatis officiis, & nec ad concionem quidem audien-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

diendam admiſſi commorabantur, quorum ſiqui ſe contaminâſſent nefœdis ſceleribus, eos Tertullianus *L. de Pudic. c.3.* non modò à limine, verùm ab omni Eccleſiæ tecto, extra porticum, ſubmotos affirmat: quales ab Ancyrana Synodo *Can. 17. Hyemantes*, quaſi ſub aperto aere tempeſtate jactati, non autem *energumeni*, ùt à quibuſdam vox Græca transfertur (cùm arreptitiis locus intra limen Eccleſiæ cum *Proſtratis* fuerit) appellantur.

*116.* II. *Narthecem* in propyleo intra Templi Januam, latinè *ferulam*: cujus denominationis causâ Cabaſſutius in *notit. Eccl.* II. *ſeculi*, *diſſert.* 10. *n.* 3. ex Joanne Meurſio in id refundit, quòd ibidem *Audientes* in ſecundam pœnitentium claſſem relati conſtituerentur ſub Eccleſiaſtica Cenſuræ ferula. & quaſi tyrones, ſeu diſcipuli Rudimentorum Chriſtianiſmi rurſus effecti, cum infidelibus, Hæreticis, & Catechumenis primi generis

neris

neris, qui, cùm vellent eſſe Chriſtiani, nomen nondum dederant, ad audiendam lectionem ſcripturarum, ac earum interpretationem, abſque ulla tamen expiatione, convenirent, illâque finitâ, per Diaconum moniti, *c. Epiſcopus* 67. *de conſe diſt.* 1. unà cum dictis omnibus egrederentur: per hoc etiam diſtincti à *flentibus*, quòd hi ab omni Eccleſiæ ingreſſu excluſi, ac veluti nomine *filiorum* indigni, nondum ad diſciplinam idonei judicarentur, juxta illud *Hebræ.* 12. *v* 8. ſi extra diſciplinam eſtis, ergo adulteri & non filii eſtis.

117. III. *Naon*, ſive ipſũ Templũ (tũ à *Narthece*, tum à *Sanctuario* tabulatis ſive cancellis, & reſpectivè etiam gradibus diſtinctum) cujus inferiorem partem ſeorſim à cæteris occupabant *Pœnitentes tertii ordinis dicti proſtrati*, quòd in ſingulis Miſſarum ſolemnitatibus poſt privatorum ingreſſum, ſuper eos in genua provolutos certæ preces publicæ, cum impoſitio-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poſitione manuum recitarentur: qui-
buſcum etiam Energumeni & Cate-
chumeni tam competentes, quàm
electi ex eo, quòd adhuc eſſent habi-
taculum Cacodæmonis, pro impuri
habiti, collocabantur. His autem
ante oblationem quoque expulſis, &
foribus Eccleſiæ benè occluſis, in-
choabatur Miſſa fidelium cui *con-
ſtentes*, cum cæteris tamen fidelibus
(ùt colligi videtur ex *Conc. Nicæ*
*c.13.* & exactè ſervatus tunc ordo per-
ſuadet) impermiſti, ſinè oblatione
munerum ad altare, & connexa cum
hac Eucharistica communione, *donec*
*obtinerent ſuo tempore abſolutionem*
*plenariam*, intereſſe permiſſi fuerunt;
ita tamen, ut non procederent ultra
præfinitum ſibi ſpatium, *ambonem*
ſcil. inter Sanctuarium & Navim ſitū
ſuas hinc indè inferiùs alas haben-
tem, ex quo minores Clerici pſalle-
bant, legebantur libri ſacri cū Epiſtol
ac Evangelio, proclamabantur Epiſ-
coporum edicta, denuntiabantur ex
com

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

communicati, & tam vivorum quàm defunctorum nomina ex tabulis duas plicas habentibus publicè recitabantur: qui *Ambon* velut limes fuit inter pœnitentes ac puros fideles, ſervato diſcrimine ſexûs, & ſtatûs Monaſtici ac ſecularis, novis iterum veroſimiliter Cancellis inter ſe & ab impuris ſejunctos, atque inter hos & *Sanctuarium*, conſiſtentes, unde hic pœnitentium gradus *conſiſtentiæ* nomen olim obtinuit, quòd ad Miſſæ videl. finem uſque cum fidelibus puris per totam ſynaxin conſiſterent, nec aliorum inſtar è Templo ejicerentur.

118. IV. *Sanctuarium*, in cujus Meditullio ſitum erat ſub Tabernaculo Altare, ad quod Epiſcopus vel ſecundi ordinis Sacerdos celebrans ſtabat facie conversâ ad populum, collocatis hinc inde duâbus Menſis, in quarum læva, dicta *Protheſi*, quaſi *Propoſitione*, ſacra Vaſa cum ſuis velis, Paniſque partim conſecrationi



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& ſacræ communioni, partim evl-giis poſt ſynaxin diſtribuendis deſti-natus; in altera verò ad dexteram, ſa-cra celebraturi veſtimenta repon-bantur. Poſt altare, ante extremu Sanctuarii murum, extabant d ſcamna pro ſacerdotibus in ſemici-culari forma utrinque diſpoſita, a que in horum medio ſedes aliqu gradibus elevata pro Epiſcopo, qu ſi poterat, ipſe; vel ſi ob infirmi-tem aut legitimam abſentiam nequ-bat, ſenior de ſacerdotibus, in eade Ara ſimul cum cæteris (ùt in ordina-tione Presbyterorũ apud nos etiam-num fieri ſolet) inſervientibus jux ſuum ordinem Diaconis ibidem ad-ſtantibus, celebrare conſuevit: in quo ſenſu Concilium Carthaginenſe IV. A.C. 398. habitum c. 33. intelligen-dum eſt, cùm Epiſcopos vel Presby-teros alienam Eccleſiam pietatis ani-mo viſitantes invitari jubet ad conſe-crandam oblationem, hoc eſt, *ad con-ſacrificandum*: cujuſmodi Ritum

no

non niſi ætate Innocentii III. ùt vult Jacobus *Goar. in Euchol. Græcor. not. ad ordin. Presbyt. n.20.* in Eccleſia Latina abolitum, Græca adhuc conſervat.

119. Et quoniam Libri veteres duplex quoque *ſecretarium* indicant, ex Cabaſſutio *cit. diſſert. 10. n. 14.* ſciendum eſt, gemina illa ſecreta cubicula in fronte Sanctuarii hinc indè conſtructa fuiſſe, in quorum eo, quod ad lævam erat, cùm Paulinus *epiſt. 12. ad Severum* hos à ſe verſus inſcriptos referat:

*Si quem ſancta tenet meditandi*
*in Lege voluntas,*
*Hic poterit reſidens ſacris intendere*
*libris:*

& in altero ad dexteram:

*Hic locus eſt, veneranda penus quo*
*conditur, & quo*
*Promitur alma ſacri pompa*
*Miniſterii.*

Uſus utriuſque perſpicuè relucet, ſcil. prius deſerviiſſe recondendis ibi ſa-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cris & Eccleſiaſticis libris ; alteru ſacræ ſupellectili aſſervandæ: T metſi ſubinde latiùs acceptum, i apud S Gregorium M. *L. 2. Indic.* 11 *epiſt* 54. *ad Joannem Epiſcopum R vennatem*, & in diverſis Concili (quæ in *Secretario*, id eſt, *Sanctuari* celebrata dicuntur) pro toto ipſ Sanctuario uſurpetur. Quanqua verò exiſtimârint nonnulli, in Secre-tario, ſeu Paſtophorio ad dexteran conſtructo aſſervatam fuiſſe pariter, tutioris cuſtodiæ causâ, SS. Evchari-ſtiam, ſupradictis Paulini Verbis in-ducti: *hic locus eſt, veneranda penu quo conditur*, quòd vox *penus* propriè accepta ſignificet ea, quæ ſunt eſui & potui *L. qui penum legat. 3. prin. ff. de penu. leg.* quorum ſententiæ conſonat illud S. Clementis *L. 8. conſtit. c. 13.* ju-bentis, peractâ communione, quod de Corpore Domini supereſt, cum debita reverentia in Paſtophorio re-poni. Verùm cùm voce *Penús* ex ead. *L. 3. §. ſed Ariſto. 1.* etiam, quæ

eſui,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſui, potuique non ſunt, imò §. *Vaſa* 11. Vaſa quoque penuaria contineantur: & octo Libros conſtitutionum Apoſtolicarum S. Clementi vulgò adſcriptos Em. Bellarminus *de ſcript. Eccl. ab A. C ad 100.* ob multa in iiſdem erronea & falſa, pro Apocryphis, vel dubiæ ſaltem fidei habeat, nihil indè concludens eruitur: præterquam quòd *Paſtophorium*, explicatum à S. Hieronymo *ad Ezech. c. 40.* *Thalamus* ſive cubiculum ſponſi adventui præparatum, ſicubi pro SS. Evchariſtiæ reconditorio, quaſi lectus ſponſi Eccleſiæ & animarum noſtrarum, & ab eodem S. Doctore *in Iſaia* 22. pro Tabernaculo, in quo præpoſitus Templi habitat, ſumitur, non neceſſariò denotet, alterutram Secretarii Cameram, ùt ex alio ejuſdem Paulini Verſu eidem epiſtolæ *ad Severum* inſerto colligitur, dum canit: *Divinum veneranda tegunt altaria fœdus*: quo non obſcurè indicat, S. Evchariſtiam ſuo jam tempore in ipſomet Altari conſueviſſe recondi.

120. Cùm autem fideles olim, etiam laici, inſtante, vel ſæviente perſecutione, Chriſti Corpus de ſynaxi à Sacerdote acceptũ, ex illius temporis uſu, licitè ſecum domum deferrent, ibidemque reverenter pro alimonia ſpirituali & excitatione fervoris ad impavidè ſubeunda futura certamina aſſervarent: hujuſmodi delatio ad ſuas ædes potiori jure competiit Epiſcopo, vel primario Sacerdoti loci, tum in proprium uſum prædictum, quando ſacrificare non poterat; tum ad providendum indè fidelibus, ſiqui conſumptis ante novam ſynaxin particulis, ob imminentem exitum, vel aliàs indiguiſſent ulteriore cœleſti alimento. At quoties, ſuſpensâ vel prorſus ceſſante Tyrannorum ſævitie, fidelibus dietim convenire liberiùs, & Dominicæ ſaturitatis munimine refici quotidie licuit: Divinorum munerum aſſervatione regulariter ultra diem in gratiam infirmorum ſcilicet aut ſupervenientium quandoque peregri-

regrinorum, minimè opus fuit: nec uſquequaque perſpicuum eſt, in quo præcisè loco primitus ea cuſtodierint, ob ſervatam tunc *ſilentii fidem* de noſtris Myſteriis: cum qua ſicut, ante converſionem Gentilium, & Hebræorum compactionem in eam, ſub qua degunt hodie, ſervitutem, non cohæſit publica SS. Eucharistiæ expoſitio in apertis Baſilicis, aut circumgeſtatio per plateas; ita multò magis eoſdem hujus Sacramenti cuſtodiæ locum celari oportuit, ne eo ſemel incautè detecto, inſurgentibus procellis novi furoris, primam rabiem contra illud exererent, idque ludibriis, ac mille profanationibus inhonorarent.

121. Veroſimiliter tamen ſæpecitatus Cabaſſutius *in Notit. Eccleſ. ſecundi ſec. diſſert.* 8. *nu.* 15. poſt introductum apud Chriſtianos uſum Templorum, putat, SS. Eucharistiam antiquitus in armario ad ſanctuarii latus ùt plurimùm fuiſſe reconditam,

 donec

donec Concilium Turonenſe II. An. Chr. 567. ſub Pelagio I. in Galliis habitum *can.* 3. illam in ipſomet Altari ſub titulo Crucis, velut digniore loco, juſſit reponi: Cum quo non pugnat idem SS. Sacramentum alibi intra ſuſpenſam ſupra ſanctũ Altare columbam; vel intra arculam aureã aut argenteam alicubi cuſtodiri conſueviſſe, ut colligitur *ex vita S. Baſilii* ab Amphilochio Iconii Epiſcopo, ùt creditur, *Græcè conſcripta* ex Teſtamento Perpetui Epiſcopi Turon. *tom.* 5. *Spicileg. Dacher.* & ex querela à Clericis ac Monachis Antiochenis in V. ſynodo A. C. 553. CPoli. *act.* 1. contra Severum Antiochenum Pſevdo-Antiſtitem his verbis concepta: *Præſumptum eſt & hoc ab eodem, ò Beatiſſimi, nam columbas aureas & argenteas in formam Spiritûs ſancti ſuper Divina lavacra & Altaria appenſas, unâcum aliis ſibi appropriavit &c.* alibi verò ejuſdem aſſervationi ſerviiſſe pretioſas turriculas, de qualibus S. Remigius apud Flodoardum *L.* 3.

*Hiſtor.*

*Hiſtor. Remen.* Venantius Fortunatus *lib. 3 Epigram. 25. ad Felicem Bituricenſem Epiſcopum*, qui pro cuſtodiendo Chriſti Corpore turrim ex auro fabricari curaverat, & Gregorius Turonenſis *lib. 1. de gloria Martyr. c. 86.* dum hujus generis turriculam, in qua continebatur Myſterium Dominici Corporis, ex impuri cujuſdam Diaconi eam ad Templum ferentis manu elapſam ac ad Altare prodigiosè translatam commemorat: unde Eſpencæus *l. 2. de Euch. ador. c. 8.* confirmat morem in Gallia potiſſimùm olim receptum, ut ſacris ſolemnibus per Epiſcopum abſolutis, SS. Altaris Sacramentum è Templo primario deferretur in Ciborio, Arca, itinerario, repoſitorio, pyxide; ciborio portatili ſive turricula, ad vicinum Epiſcopium, illic in Oratorio Antiſtitis ad proximam uſque ſolemnem ſynaxim aſſervandum: eundemque in Hiſpaniis uſum obtinuiſſe idem præſtantiſſimus Author conjicit ex ejus,

 qui

qui indè irrepſerat*, abusûs correctione in Bracarenſi Synodo III. circa An. Chr. 675. cujus *Canon quintus* ſugillat Epiſcopos, quòd ad Eccleſiam progreſſuri, deteſtandâ præſumptione ferrent *Arcam Domini cum Reliquiis è collo ſuſpenſam, inſidentes ſellulis per Levitas delatis*, ut *majoris apud homines faſtûs gloriâ intumeſcerent*, eoque abuſu reſciſſo, jubet, ut vel Epiſcopus, ſi eam per ſe deportare elegerit, unâ cum populo pedeſtri Proceſſione ad Conventum SS. Eccleſiarum procedente, *ſanctam Dei Reliquiam* (quâ phraſi Euchologium Græcorum *Præſanctificata* ἅγια λείψανα, & Concilium Matiſconenſe II. *c.* 6. Euchariſticas ſpecies *Reliquias Sacrificiorum* appellat, ſacerdotaliſque Romani compilator *p.* 3. *tract.* 1. *c.* 4. apud Eſpencæum *cit.* advertendum monet, in Proceſſione Feſti Corporis Chriſti nullam aliam *Reliquiam* eſſe portandam) prehenſo reverenter manibus ciborio deferat; vel juxta conſuetudinem antiquam, in Feſtis quibuſ-

quibuſque diebus Arcam Domini cum Reliquiis Levitæ in humeris geſtent: quæ conſuetudo tamen & ipſa poſtmodum juſtis de cauſis improbata fuit, & à S. Congregat. Rituum 2. *Junii* 1618. penitus abrogata. Nec quicquam hactenus dictis adverſum infertur exinde, quòd apud Heſychium Hieroſolymitanum Presbyterum *l.* 2. *in Levit. c.* 8. ſuperſtites Sacramenti ſpecies flammis abſumptæ, aut innocentibus parvulis utriuſque ſexûs, ùt videre eſt in *cit.* Concil. Matiſcon. II. & in Turonenſi III. *c.* 19. ad conſumptionem diſtributæ: plurimoque tempore fideles quotidie hoc Sacramento refecti legantur. Nam Heſychius, ſicut & Concilium Arelatenſe III. *C.* 5. de ſpeciebus mucorem contrahentibus, aut vetuſtate corruptis, tantummodo loquitur, cujuſmodi uſûs comburendi veſtigia in C. *ſi per negligentiam*, 27. *de conſec. diſt.* 2. & in moderno Miſſali Romano *de defectib. in celebr.* §. 10. *nu.* 14. deprehenduntur: nec aliter intelligen-

dum

dum eſſe Heſychium, liquet ex Evagrio ſcholaſtico *L. 14. hiſt. Eccleſ. c. 35.* paulò antè, & ex Nicephoro *l. 17. hiſt. Eccleſ. c. 25.* diu poſt ſcribentes Reliquias Eucharisticas, populi communioni ſuperſtites, ne corrumperentur, parvulis nondum de innocentia Baptiſmali dejectis, quos Nicephorus *l. cit.* ἀφθόρους vocat, ac ſibi quoque, cùm admodum puer eſſet, ſæpe numerò contigiſſe aſſerit, & quidem ex mente dictarum ſynodorum Matiſcon. ac Turonen. feriâ quartâ & ſextâ, intra Eccleſiam, atque, ùt colligitur ex objectione Baſilii Cilicis contra Joannem Scythopolitam *in Bibliotheca Photii*, poſt Evangelium porrectas fuiſſe. Quoad quotidianam verò fidelium communionem, ut nihil de feriis aliturgicis dicam, conſtabit ex *nu. 123.* certumque eſt, poſt Novati hæreſim, inſtitutam fuiſſe ſpecialem Pœnitentium claſſem, *Conſiſtentium* dictam, in qua, pòſt pœnitentias corporales ad finem

perdu-

perductas, aliquamdiu ſolâ precum communione, ùt vidimus *num.* 117. gauderent, donec puriores effecti admitterentur ad oblationem pariter ac Eychariſtiæ participationem, niſì urgeret infirmitatis periculum, teſte S. Cypriano *epiſt.* 54. ubi refert Decretum Concilii Romani & Africani, quo Conſtitutum erat, ut lapſi diu agerent pœnitentiam plenam, ſique periculum mortis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Quod ipſum ſimiliter in Eliberitana ſynodo *c.* 37. de fidelibus energumenis, ſecluſo irreverentiæ periculo, ſtatutum legitur: & porrò ſi quis fidei causâ detentus in vinculis, occaſione fortuitò arreptâ, ſacro viatico præmuniri deſideràſſet ad imminens prælium, utique præſto tunc ſemper eſſe oportuit SS. Eycharistiam, quæ ex S. Cypriano *cit epiſ.* 54 *ad hoc ſit, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quoſque tutos eſſe contra Adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus.*

122.

122. Quibus accedit, quòd nec quoque, qui ex parte Eccleſiæ S. Communioné quotidie porrigentis eâdem continuò refici poterant, ob cauſas ex illorum infirmitate, indiſpoſitione, aut alio conveniente motivo ſubnatas, dietim ad illam acceſſerint: quemadmodum de S. Joanne Chryſoſtomo refert Palladius *in ejus vita* quòd jam exiſtens in Eccleſia, ob levem animi commotionem, aliquando Divinorum munerum oblatione ſuperſederit, Panſophio Piſidiæ Epiſcopo tunc in ſuum locum ſubrogato. Quapropter S. Auguſtinus *ſerm.* 18 *de Verb. Dom.* cùm dixiſſet: *Accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit*: mox ſubjungit: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere*, quò reſpexit fel. record. Innocentius XI. quando per Vicarium ſuum Eminentiſſimum Cardinalem Carpineum Prædicatoribus An 1687. inſinuari *nonnulla circa quotidianum Euchariſtiæ uſum fidelibus inculcanda* præcepit, Nec vetus ille

mos tradendæ fidelibus Eychariſtiæ, & ab iiſdem pro ſua cujuſque devotione ac neceſſitate de propriis manibus domi ſumendæ, qui viguit adhuc tempore S. Baſilii, impedivit, quin eadem vel in Epiſcopi domo maximè ante uſum Eccleſiarum, vel in harum Sacrario, ſemoto Ethnicæ direptionis periculo, cuſtodiretur, *ùt ex cit. ejuſdem Sancti vita* conſtat, ubi panis Eychariſtici in tres partes diviſi unam ipſe reverenter ſumpſiſſe, & alteram columbæ aureæ ſuper Altare pendenti impoſuiſſe perhibetur: eodemque recurrit, quod de Serapione ex Dionyſii Alexandrini litteris excerptum Euſebius *lib. 6. hiſt. Eccl. c.* 44. fusè recenſet. Adeò ut certum, ac fixum, ſique allatæ hactenus authoritates nondum ſufficere videantur, inſuper authoritate Optati Milevitani *lib. 2. adverſ. Parmen.* Victoris Uticenſis *lib. 1. perſecut. Vandal.* & Cyrilli Alelexandrini *in epiſt. ad Caloſyrium* irrefragabiliter confirmatum permaneat,

Augu-

Auguſtiſſimum hoc Sacramentum extra ſynaxaes ad fidelium uſum in Eccleſiis, & ſubinde juſtis de cauſis etiam extra eaſdem reverenter, ſive, ùt Origenes *homil. 13. in Exod.* loquitur, cum omni cautela & veneratione, aſſervatum fuiſſe. Et hoc ita de ſtructura materialis Eccleſiæ, & principalibus ejus partibus: quibus perveſtigatis, aliquid de *locis Sacris & Religioſis* extra Templi fabricam conſtitutis adjiciendum eſt, inter quæ *Baptiſteria*, ſaltem primis fidelium ſeculis, *Cœmeteria, Hoſpitalia, & Monaſteria* numerantur.

123. Tametſi enim plerique fontes Baptiſmales hodie exiſtant in ipſis Eccleſiis, & ſuo jam tempore S. Gregorius M. *L.11. Indict.6. epiſt.* 24. Baptiſterii in Eccleſia S. Mariæ Civitatis Tarentinæ per Honorium ejus loci Epiſcopum noviter conſtructi meminerit: certum eſt tamen, rebus Eccleſiæ paulatim in ordinem redactis, ſublato extra neceſſitatis caſum promiſ-

miſcuo fluminum ac fontium uſu, de quo *Act.* 8. *v.* 36. & *Act.* 16. *v.* 13. & 15. ubi etiam *v.* 33. cuſtos carceris cum domo ſua in ipſo carcere Baptiſmalibus undis tinctus invenitur: pro adminiſtrando hoc lavacro Myſtico, tempore perſecutionis quidem, in privatis quorundam fidelium ædibus, ùt in *Act. S. Marcelli* apud Surium 16. *Januarii* de fonte Baptiſmali condito in domo B. Cyriaci legitur, aut in Cæmeteriis, ùt *ut in actis S. Liberii* de Cœmeterio Oſtriano non longè à Noëllæ Cæmeterio, tertio ab Urbe lapide, viâ ſalariâ, tanquam loco, in quo S. Petrus Apoſtolus, & S. Liberius baptizârint, aſſeritur; & de Cæmeterio Vaticano in area Palatii Apoſtolici Innocentius X. per ſculpturam & inſcriptionem publicam exhibet: obtentâ verò publicâ pace, ùt Euſebius *L.* 10. *hiſt. Eccl. c.* 4. innuit, extra majores Civitatum Baſilicas, in harum vicinia, Baptiſteria ſeorſim conſtructa fuiſſe, quale etiamnum Romæ conſpicitur prope Lateranenſem Baſi-

Baſilicam, & Ravennæ ſub nomine *S. Joannis in fonte* prope Eccleſiam Metropolitanam, ut ſcilicet Neophyti diſcerent, ſe per Baptiſmum duntaxat in Eccleſiam, veluti membra Corporis Chriſti, admitti, & tanta quidem amplitudinis Baptiſteria quædam extitiſſe olim novimus, ut in iis tum Concilia in *Synod. Chalcedon. act.1.* tum Eccleſiaſtica Judicia apud Palladium *in vita S. Chryſoſt. c.14.* peracta dicantur. Poſteà nihilominus Baptiſteria in ipſiſmet Eccleſiis prope πρόναον, ſeu Templi veſtibulum, condi cœperunt, narratque S. Gregorius Turonenſis *L.2.hiſt.c.31.* abſaccito per Reginam Crothildem S. Remigio Remenſi Epiſcopo Clodovæo Regi baptizando in Eccleſia lavacrum ſalutis ſumptuoſiſſimè præparatum fuiſſe. Cumque Baptiſteria ſpeciali ritu, de quo etiam antiquus ordo Romanus, conſecrarentur, ac in iiſdem panderetur non tantùm ad Eccleſiam, ſed in ipſum quoque Cœ-

lum

lum adoptivis Dei filiis aditus, maxima ſemper in veneratione à fidelibus habita, nec impunè ab infidelibus deſpecta fuêre, quemadmodum mors infelix *Carpaſii*, cùm fontem Baptiſmalem in prophanum balneum convertiſſet, oſtendit. Et conſtat, quàm triſte omen S. Germanus Patriarcha CPanus ex conſpurcata ventris ſordibus aqua Baptiſmali à *Conſtantino* Leonis Iſauri filio, *Copronymo* indè dicto, pro Eccleſia Chriſti deſumpſerit. Nec minùs portentoſa fuit ſimilis fœditas, quâ *Wenceslaus piger* in ſuſceptione Baptiſmi Norimbergæ ſacrum fontem infecit: unde ex omnium animis uno ore præſagium prodiit, ſacra pariter ac prophana ſub hoc aliquando Principe, quo poſt Heliogabalum vix ſpurcior Imperium tenuit, contaminanda.

124. *Cœmeterium*, quod non benè à Ciniterio ſeu tritis defunctorum cineribus; nec à *cimicibus*, vermiculis malè fœtentibus: ſed à Græ-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ca voce *χοιμάω dormio* derivatur, ſui-
que nominis etymo indicat Chri-
ſtianorum corpora ſinu ſuo recepti
non tam mortua jacere, quàm requi-
eſcere, ob ſpem reſurrectionis juxta
Apoſtolum 2. *Theſſalon. 4. v. 14.* mor-
tuos *χοιμηθέντας* quaſi *ſomno ſopiti*
vocantem: olim quidem, obſtante
prohibitione Juris Romani XII. Ta-
bular. *in Urbe ne ſepelito, nevè urito*
à primis fidelibus, ne deſpicere vide-
rentur Jura Gentilium, poſt Legem
Decemviralem, Triumphalium dun-
taxat hominum, qui virtutis causâ
Legibus non tenebantur, atque Ve-
ſtalium oſſibus id ſpecialiter permit-
tentium, extra murorum ambitum,
poſteà verò etiam in civitatibus, &
ſæpe in ipſis Eccleſiarum atriis,
veſtibulis, porticibus conſtructum
fuit, exemplô fortaſſis Conſtantini
M. ùt notat Sozomenus *Lib. 2. hiſt.*
*Eccl. c. 32. ab eo igitur, tanquam ex*
*ejus rei Authore, conſuetudine du-*
*ctâ, Imperatores Chriſtiani poſt mor-*

te

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tem CPoli ſepeliuntur, atque Epiſcopi etiam, quippe cùm dignitas etiam ſacerdotalis, Imperii dignitati par ſit, imò verò in locis ſacris primas partes obtineat.* Cujus Imperatoris Nicomediæ defuncti corpus in aureo loculo C.Polim delatum Conſtantius ejus filius reponi curavit in Eccleſia SS. Apoſtolorum, eam ipſam ob cauſam à Conſtantino M. dum viveret, condito, & in Imperatorum ac Epiſcoporum ſepulturam delecto, ùt Socrates *lib.* 1. *hiſt. E cl. c.* 26. obſervat, *ne Imperatores & Sacerdotes aliquando deſtituerentur Reliquiis Apoſtolorum:* ſive, ùt Euſebius *lib.* 4. *de vita Conſtantini M. c.* 60. loquitur, *ex fidei præſtantia, prævidens futurum, ut poſt mortem, orationum, quæ hic ad Apoſtolorum gloriam offerendæ erant, particeps efficeretur:* qui tametſi ſepulturæ locum extitiſſe intra ipſammet Apoſtolorum ædem inſinuare videantur: S Joannes Chryſoſtom. tamen *homil.* 26. *in* 2. *Corin.* 12. rem

clarius detegit: *Conſtantinum M. magno ſe honore affecturum exiſtimavit filius* (Conſtantius) *ſi in veſtibulis collocaret Piſcatoris? & quod in Regiis janitores ſunt Regibus, id in ſepulchris Reges ſunt Piſcatoribus: & hi quidem, velut ipſius loci Domini intùs habitant; illi verò, tanquam accolæ ac vicini, præclarè ſecum agi putant, ſi janua ipſis aſſignatur veſtibularis &c.* ubi, Zonaras *in Conſtant. pag.* 10. ab eodem Conſtantio ſtoam ſive porticum ſupra tumulum Conſtantini M. conſtructam aſſerit, cujus porticûs etiam Cedrenus in *Arcadio* meminit, quem unâ cum Eudoxia conjuge in Templi Apoſtolorum meridionali porticu refert ſepultum. Et antequam invaluiſſet mos ſepeliendi defunctorum corpora in ipſiſmet Eccleſiis, conſtat ex venerabili Beda *lib. 2. hiſt. Eccl. gentis Anglor. c.* 3. in Anglia quoque ipſum S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli corpus juxta Eccleſiam SS. Petri & Pauli primùm poſitum, tum poſt

Temp

Templi dedicationem, in Aquilonari ejuſdem porticu decenter tumulatum fuiſſe: *in qua etiam* (porticu) *ſequentium Archiepiſcoporum omnium ſunt corpora tumulata, præter duorum tantummodo, id eſt, Theodori & Berthmaldi, quorum corpora in ipſa Eccleſia poſita ſunt, eò quòd prædicta porticus plura capere nequivit.*

125. Quidquid autem olim Cyrænei, Cynici, ac alii quidam Philoſophi de contemnẽdo ſepulturæ uſu ſenſiſſe dicantur cum Lucano de interemptis in pugna Pharſalica, quos Cæſar humari, comburique vetuerat, ita Cæſarem alloquente:

*Nil agis hâc irâ; tabeſne cadavera ſolvat*
*An rogus, haud refert: placido natura receptat*
*Cuncta ſinu:* & pòſt: *capit omnia tellus*
*Quæ genuit: cœlo tegitur, qui non habet urnam.*

Ingens tamen apud Romanos, ac a-

lias Gentes Hircanis, Maſſagetis, & Tibarenis cultiores, ſepulturæ cura atque Religio, immò pars ſupplicii fuit, Decreto Magiſtratûs inſepultum abjici, feriſque ac avibus in prædam exponi: ut mirum videri non debeat, cùm Plutarchus in *Numa* mortuos *ſacros*, & eorũ exuvias in terris ſuperſtites *ſacras* appellat, quòd authoritate Legũ paſſim obviarum, per inhumationem corporis humani *locus Religioſus* reddatur. Et quamquam ex contactu cadaverum, vel ſepulchrorum, Judæi *Num. 19. v. 16.* immunditiem legalem olim contraxerint, atque ne facilè, incurrendo in ſepulchra, polluerentur, eadem extra Urbes in agris & locis ſeparatis habuerint, ideoque Joſias Rex *4. Reg. 23. v. 14. & 20.* loca Idolis ſacra omni Religione deſtituturus, ea repleverit oſſibus mortuorum: ſumma tamen iis cura atque religio circa ſepulturas ac tumulos fuit, ne videlicet exhumarentur eorum oſſa, vel miſcerentur

tur

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur oſſibus, aut rebus immundis: quod veluti gravem pœnam, Judæis, ob immolatos in Tophet Saturno filios, ibidem occidendis, & extra ſepulturam Patrum in loco profano ſepeliendis, oſſaque Regum Juda & Sacerdotum, ac Prophetarum atque eorum qui habitaverant Jeruſalem, de ſepulchris ſuis ejicienda prædixit *Ieremiæ c. 7. v. 32. & c. 8. v. 1.* quam ignominiam ac profanationem ex divinatione S. Hilarii *Can. 32. in Matth.* declinare voluiſſe videntur *Matt. 27. v. 7* coëmpto de triginta argenteis Judæ in Templum projectis agro figuli, *in ſepulturam peregrinorum*, ne illatione cadaverum gentilium, aut aliàs diverſæ à Judaica fidei hominum exterorum, ſepulcra & cæmeteria ſua, ùt Judæâ à Romanis in provinciam redactâ violenter attentari cœperat, contaminarentur.

126. Si quando autem Christiani minimam ſepulturæ rationem habuiſſe

iſſe videntur, id longè aliâ men
quàm à Philoſophis, factum S. Au
guſtinus *lib. 1. C. D. c. 12.* demonſtra
*neque iſtud pia fides reformidat, tene*
*prædictum, nec abſumentes beſtias*
*ſurrecturis corporibus obfuturas, q*
*rum capillus capitis non peribit. N*
*ullo modo diceret veritas Matt. 10.*
*28. nolite timere eos, qui corpus oc*
*dunt, animam autem non poſſunt oc*
*dere. Dicitur quidem in Pſal. 78. v*
*Poſuerunt mortalia ſervorum ſuor*
*eſcam volatilibus cœli, carnes Sanc*
*rum tuorum beſtiis terræ: effuder*
*ſanguinem eorum, ſicut aquam in c*
*cuitu Hieruſalem, & non erat qui*
*peliret: ſed magis ad exaggerand*
*crudelitatem eorum, qui iſta fecer*
*non ad eorum infelicitatem, qui*
*perpeſſi ſunt:* moxque c. 13. ſubnec
*nec ideò tamen contemnenda & ab*
*cienda ſunt corpora defunctorum, m*
*ximèque juſtorum atque fidelium, q*
*bus tanquam organis & vaſis ad om*
*bona opera ſanctus uſus eſt Spiri*

Cu

Cujuſmodi argumento quoque Origenes *lib. 8 contra Celſ.* utitur: ſique Ethnici vix aliquam de futura reſuſcitatione fidem habentes, & Judæi cadaverum licèt contactu inquinari timentes, non intermiſêre tamen hoc ultimum & maximum pietatis officium, adeò ut Imperator M. Antoninus Philoſophus, referente Capitolino *in ejus vita*, vulgaria funera juſſerit publico ſumptu efferri: multò magìs idem Chriſtianis incumbit qui & humani corporis dignitatem ex Verbi Divini conſortio per Incarnationis Myſterium, & ex SS. Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum uſu veluti conſecrationem perſpectam habent, & clariùs percepta Regni cœleſtis ac reſurrectionis fide, mortē, ùt æternitatis introitum, atque corporum exanimationem veluti ſomnum cum ſpe ſubſecuturæ reunionis conſiderant. Unde cæmeteria non tantùm ex illatione cadaverum pro *Religioſis* habent; ſed & certo ritu

benedicunt, & ſacra efficiunt, ùtteſtatur de ſui temporis uſu Gregorius Turonenſis *l. de glor. Confeſſ. c.* 106. ubi de ſeipſo refert, quòd, cùm de obitu B. Radegundis Francorum Reginæ certior redditus, acceſſiſſet ad Pictavienſe Monaſterium à defuncta conſtructum, locúſque in quo ſepeliri debebat, nondum ſacerdotali benedictione ſacratus fuiſſet, ipſe Gregorius rogatus à civibus eum, abſente Pictavienſi Epiſcopo, conſecrarit. Imò & S. Cyprianus *epiſt.* 68. *ad Clerum & plebes in Hiſpania conſiſtentes*, referendo Martialem nefando Idololatriæ ſcelere contaminatum, præter frequentata diu Gentilium Collegia, & Chriſtum negatum, filiós quoque gentium more apud *profana ſepulchra* deponi, & alienigenis conſepeliri ſiviſſe, ſatis inſinuat, annotante ad hunc locum Pamelio Brugenſi Canonico, in Eccleſia jam tunc extitiſſe, *loca ſacra*, ubi fideles ſepelirentur.

127 Ab initio quidem hæc Cæmeteriorum conſecratio indè principaliter nata videtur, quòd eò precum & celebrandæ ſynaxis causâ primi fideles, ut ſecuriùs laterent, confluxerint: unde orta illa Perſecutorum verba ſub Hilariano Præſide apud Tertullianum *ad ſcapulam* : *areæ non ſint*; hoc eſt loca ſepulturarum Chriſtianorum (ad impediendos eorundem ſacros conventus) deſtruantur: ſimiliterque Dionyſio Epiſcopo & aliis fidelibus, ab Æmiliano Alexandriæ Præfecto juxta mentem Imperialium Edictorum, interdictum fuiſſe cæmeteriorum ingreſſu ſcribit Euſebius *L. 7. hiſt. Eccl. C. 10.* ſeparato tamen Baſilicarum ſeu Templorum loco à cæmeteriis, permiſsâque Chriſtianis non ſecùs, ac aliis quibuslibet ſupplicio ſubjectis, per *L. obnoxios* 11. *C. de Religioſ. & ſumptib. funer.* ſepeliendi facultate, & integrâ per Galienum apud Euſebium *L. 7. hiſt. Eccl. c.* 12 adeundi occupandique cæmeteria

poteſtate, veriſimile eſt, ea benedi-
cendi uſum perſtitiſſe, & ideò deinde
iiſdem ferè, quibus Templa, privile-
giis ac immunitatibus decorata fuiſſe.
Conſtatque, quantâ Religione Con-
ſtantinus M. corpus certorum homi-
num ex nongentis quinquaginta di-
verſorum Collegiorum & artium of-
ficinis compoſitum, *ad humanda in Cœmeteriis fidelium cadavera*, Eccle-
ſiæ ſubjectum, & publicis quibuſque
muneribus ac vectigalibus immune
voluerit: quod corpus poſtmodum
aliis centum quinquaginta officinis
adauctum Anaſtaſius Imperator do-
tavit certis redditibus: & Juſtinianus
Imperator, præfatorum teſtis *Novell. 43. c. 59.* confirmavit.

128. Cùm *Hoſpitalia* quoque, *Noſocomia*, *Orphanotrophia*, atque
ſimilia loca ad Religionem perti-
neant, & immunitatis privilegio gau-
dere dicantur, ut mox videbimus, de
his inſuper præmittenda ſunt aliqua,
ut quæ de eorum immunitate locali
tracta-

tractabimus, exactiùs intelligantur. Et de *Hoſpitalitate* quidem neminem latet, quantopere eam Chriſtus *Mat.* 25. S. Petrus 1. *Pet.* 4. S. Paulus *ad Rom.* 12. *ad Tit* 1. ac alibi ſæpe S. Joann. 3. *Ioan.* v. 5 nobis commendent, ne Judæis atque Gentilibus deteriores inveniamur: de quorum illis liquet, quàm ſollicitè etiamnum in locis, ubi tolerantur, ſe huic erga ſuos officio charitatis impendant, ac licèt parietibus domeſticis illud plerumque inſcriptum habeant: *Die primo hoſpes; ſecundo onus; tertio fœtens*: ijs nihilominus, qui Archiſynagogo litteras peregrinantibus inter ipſos dari ſolitas exhibent, conſilio & ope præſtò ſint, hoſpitiumque, & viaticum tempore diſceſsûs concedant. Quoad Ethnicos autem (ut nihil hîc de hoſpitali teſſera dicam) contendit Serarius *in Tob.* 6. *q.* 3. ævo Joſue, quo exploratores in Jericho miſſi *Ioſue* 2. *v.* 1. apud Rahab divertiſſe leguntur, nullum extitiſſe uſum publicarum, ùt



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

hodie tabernarum, ob ſumma hominum illius temporis erga adve nas non ſuſpectos beneficentiam : l 2. *Machab. 6. v. 2.* Gentilium erga Jo vem *Hoſpitalem* Religio proditur e erecto ei Templo in Garizim : qu nomine ſpeciatim quoque commen dantur à Tacito *de morib. Germ.* veteres noſtri Germani : *notum, ign tumque, quantum ad jus hoſpitii, nem diſcernit.*

129 Quibus longè ſuperiores pri mi fideles, quamdiu, ob fidei perſe cutores, Xenodochiorum inter ipſos uſus eſſe non potuit, pro fratribus in peregrinatione conſtitutis nõ minùs, quàm pro aliis verè pauperum ac e gentium neceſſitatibus contulêre ſubſidia, ſub directione localis Epiſ copi, & tanquam à Chriſto ſe viſitari gaudentes, ſi quando peregrinus fi delis litteris teſtimonialibus, pacifi cis, communicatoriis, Canonicis, ſi ve ùt alii vocant, formatis, id eſt, cer tâ quadam formâ conſcriptis, aut, quam-

quamdiu ob nimiam in fideles ſævitiem, certumque proinde Catholicorum itinerantium vitæ periculum litteras ejuſmodi ſecum deferre non congruit, Apoſtolici Symboli, quod Tertullianus *L. de præſcript. c. 20.* conteſſerationem hoſpitalitatis appellat, notitiâ inſtructus apparuit, talem non menſâ ſolùm ac ope, ſed etiam conſortio Myſteriorum frui ſiverunt: imò & infidelibus, ac iis, quibuſcum communionem ſacrorum habere non poterant: aut qui ob ignorantiã Symboli, vel deinde ob defectum ejuſmodi litterarum teſtimonialium de crimine, vel heterodoxa Religiõe, aut Paganiſmo ſuſpecti erãt, perhumaniter exceptis omne ſolatii genus tantâ comitate præſtiterunt, ut S. Pachomius apud Suriũ *in ejus vita*, parentibus Idololatris natus, & ſub Maxentio militans, Oxirinchi à Chriſtianis aliàs ſibi incognitis liberaliter in tranſitu habitus, Deo intùs agente, Chriſtianus, ſub Palemone Monachus, ac in Thebaide S. Abbas evaſerit:

ſerit: neque hanc noſtrorum erga advenas benignitatem Julianus Apoſtata inficiari potuerit *in ſua ad Arſatium Epiſtola* relata à Sozomeno *L. 5. hiſt. Eccl. c. 15. turpe profectò eſt, cùm nemo ex Iudæis mendicet, & impii Galilei* (Chriſtiani) *non ſuos modò, ſed noſtros quoque alant, ut noſtri auxilio, quod à nobis ferri ipſis debeat, deſtituti videantur.*

130. Epiſcopo autem (cujus domus, ùt S. Hieronymus *Comment. ſuper epiſtolam ad Tit. 1. ait, omnium commune debet eſſe hoſpitiũ*) hoſpitalitas jam olim adeò neceſſaria habita fuit, ut S. Gregorius Nazianzenus *in carm de ſua vita*, impotentiam miniſtrandi hoſpitibus, ob tenuitatem proventuum, inter cauſas recuſati à ſe Epiſcopatûs Saſimorum alleget: & Concilium Cartaginenſe IV. relatum *C. epiſcopus 7 diſt.* 41. injungat Epiſcopo, ut non procul ab Eccleſia locum recipiendis atque tractandis pauperibus peregrinis deſtinatũ habeat: & quiſquis ab hoc Chri-

ſtian-

ſtianæ Charitatis officio alienus invenitur, Jure prohibeatur ordinari *C. Archidiaconum un. diſt. 85.* quod cùm S. Joannes Chryſoſtomus ſingularis abſtinentiæ lucrandique temporis ſtudio, & ob ſtomachi nimiâ prioris eremi auſteritate malè affecti faſtidium, CPoli in Urbe, ubi omnes ferè Orthodoxi, aliàs hoſpitaliſſimi eſſe ſolebant, non faceret, ſed ſolus plerumque cibum ſumeret: quidam ex adverſariis *in Synodo ad Quercum*, Epiſcopum tam inſignem, atque pro ſuſtentatione pauperum aliis, ùt mox videbimus, viis cumprimis ſollicitũ, traducere non horruerit, quòd in hoſpitalitate deficeret, & ne cum ſuis quidẽ Clericis menſam haberet communem, nec Theophilo & Ægypti Epiſcopis propriam domum ac victum obtuliſſet. Quibus Palladius *in vita S. Chryſoſt.* reponit, in tanta adventantium indies peregrinorum frequentia CPoli, ubi omnes ferè hoſpitales erant, nihil à piiſſimo Antiſtite

tiſtite neglectum, recteque compu
to ſumptûs Obſoniorum Miniſte
rium verbi prælatum fuiſſe.

121. Et hæc ipſa ratio fuit erigen
dorum in magnis Urbibus hoſpitali
ex eleemoſynis fidelium, Epiſcopi
diſpenſationi ad pios uſus commiſſi
ne quotidianâ tot peregrinorum, a
liorumque pauperum curâ nimis di
ſtracti Epiſcopi, minus liberè vacar
poſſent Miniſterio verbi & oration
ſicut in ſimili de SS. Apoſtolis legitu
*Act.6. v.2. & ſeqq.* cujuſmodi Hoſpi
tale extra Urbem Cæſarienſem à S
Baſilio è fidelium largitionibus con
ditum, annuiſque proventibus locu
ples, S. Gregorius Nazianz *orat.20*
præ amplitudine *novam civitatem*
*appellat*: quo ſpiritu ductus Eubulus
unus ex duodecim Senatoribus Ro
mâ Byzantium à Conſtantino M. ad
ductis, CPoli celebre Xenodochium
condidit apud Du Cange *in CPol.*
*Chriſtiana C. 4. §. 9. de Xenod.* memi
nitque Theodoretus *L. 5. Eccl. Hiſ.*
*c.1*

c. 8. eximiæ charitatis à Placilla Auguſta Theodoſii M. conjuge *in Hoſpitiis Eccleſiarum* exercitæ : ubi per hoſpitia Eccleſiarum intelliguntur pia loca, Authoritate Sacrorum Antiſtitum, ad hoſpitalitatis uſum, pauperumque proviſionem *C. licèt* 4. *X. de relig. domi.* deſtinata, quæ pro varietate humanæ miſeriæ, cui ſuccurritur, diverſa nomina, ùt Xenodochii, Ptochii, Noſocomii, Orphanotrophii, Gerontocomii, Brephotrophii &c. ſortiuntur, qualium mentio fit *L. ſi quis* 49. *C. de Epiſcopis & Cler.* nec in Monaſteriis ſolùm, teſte S. Chryſoſtomo *Hom.* 73. menſæ Regularium quotidie cœcis, claudis, & mancis plenæ : ſed tractu temporis varii hoſpitalariorum ordines, ùt templarii (nunc extincti) Melitenſes, Teutonici, Crucigeri cum rubea ſtella, Antonitæ &c. tum pro cura infirmorum Parabolani, ἀπὸ τῦ παραβάλλεσθαι à ſubeundo intrepidè periculo dicti. *L. placet.* 17. *L. Parabolanos*

*lanes 18. C. de Epiſc. & Cler.* atque Beato Joanne Dei Fratres miſericor-diæ introducti fuerunt : quibus etiam F F. Ordinis SS. Trinitatis accenſen-di videntur, cùm ex regula accep- ab Innocentio III. partem bonoru ſuorum operibus charitatis corpora-lis applicare jubeantur. Refertq; Palladius *cit.* de S. Chryſoſtomo quòd conſtructis à ſe novis infirmo-rum & egentium receptaculis præ-fecerit duos è ſacerdotum nume ſummæ Religionis viros : quali inſuper meminit Concilium Chalce-donenſe *c.* 8 Sozomenus *L. 8. Hi Eccl.* & S. Gregorius M. *L 3. Ind. 12. epiſt. 24* qui eoſdem ad reddend Epiſcopis Civitatum ſingulis quib que temporibus rationes obſtring

*132.* Eſt & alia ſpecies locorum ſa-crorum, de quibus inquiri debet, a iis competat Jus ſacri Aſyli? vide-cet *Monaſteria*, & *Conventus*, ſe publicæ Domus Regularium, a non *eremi* : quorum antiquitate no

nonnulli fundant in teſtimoniis S. Dionyſii Areopagitæ *de Hierar. Eccl.* & in ejuſdem *litteris ad Cajum & Demophylum*: at velut indubitatum ſupponentes id, de quo plures ambigere facit collatio Orthodoxorum Antiſtitum cum Severianis hæreticis CPoli A. C. 532. ſub Joanne II. Pontifice, & Juſtiniano Imp. habita *To. 2. Concil. Binii ad hunc annum*: circa quod primùm tempus hæc opera ejuſdem ævi ſtylo concepta (quorum ante nec Euſebius, nec S. Hieronymus, nec Sophronius, nec alius quiſquam veterum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis tractantium meminit) comperta fuêre. Sique Menologia Græcorum ante ſeculum IV. Religioſos ſtrictè acceptos inducunt: horum aſſertis obſtant primorum trium ſeculorum Eccleſiaſtici ſcriptores ac Patres, apud quos nulla prorſus extat mentio communitatum Regularium, quales ſanè ſub duriſſima fidelium perſecutione difficulter potuerunt

ruerunt inſtitui, quando ſingulis fide-
libus plerumque deliteſcendum, nec
habitis etiam ſubinde per conniven-
tiam templis diu tranquillè uti per-
miſſum fuit. Præterquàm quòd jus
Romanum Collegia Imperiali au-
thoritate deſtituta, & Chriſtianorum
hæterias ſeu conventus, de quibus
Plinius ſecundus in Bithynia Pro-
conſul 10. *epiſt.* 97. vetuerit, continua-
que Chriſtianorum exercitatio per
exilia, carceres, mille injurias, & atro-
ciſſima quævis ſupplicia, fuerit iis pro
Monaſterio, eremo, ſolitudine, ac
quolibet aſceterio, ùt eleganter innuit
Tertullianus *ad Martyr. c. 2. hoc præ-
ſtat carcer Chriſtianis, quod eremus
Prophetis.* Ut proinde ſeceſſus â cæ-
teris fidelibus, de quibus ſcripſit S.
Hieronymus *in Philone*, tales extitiſſe
primos fideles, *quales poſteà monachi
eſſe conati ſunt*: (qui nimirum ſe tunc
ſemper ad pietatem, Martyrium,
Chriſtianæ Charitatis officia, cæte-
raque acquirendæ perfectioni pro-
ficua

ficua animare, & ſanctitate morum ipſos gentiles in admirationem trahere ſolebant) penè ſupervacaneus videri potuerit: donec poſt datam Eccleſiæ pacem à Conſtantino, remittente paulatim fervore, plurium mores à prima puritate declinantes, aliis ſublimioris propoſiti laicis procul ab hominum turba ſanctiùs vivi poſſe judicantibus, juxta profeſſionis monaſticæ lineas in veteri teſtamento jã olim præductas, ut innocentiam Baptiſmalem in tuto ponerent, nevè malorum exemplo, converſatione, aut occupationibus mundanis depravarentur, procul à profano tumultu, ad ſolitudines & tranquilla clauſtrorum ſilentia recedendi anſam dederunt: quos deinde pariter imitati ſunt alii de commiſſis inter ſeculi fluctus peccatis pœnitentiam acturi, atque per voluntarium, eumque perpetuum ejuſmodi ſeceſſum, periculoſa poſthac contagia, atque relapſum ad priſtina vitaturi: qua de

causa

cauſa veteres non tantum opera pœnitentiæ, ſed cœnobia quoque in peragendis dicata, *μετανοίας*, ceu *Pœnitentiæ officinas* vocârunt.

133. Quamvis autem primis fidelibus Monaſticæ virtutes ita complacuerint, ut jam tunc Regulares ac Monachi, velut in exemplari ſuo, floruiſſe viderentur: verè tamen S. Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 187. *a.* 3. *ad* 2 tenet, *nondum inſtitutas fuiſſe tunc temporis Religiones*: quarum Principes ac primos fundatores, *Paulum* & *Antonium*. S. Hieronymus *epiſt.* appellat: quorum poſteà exemplô & quidem S. Pauli primi Eremitæ, nonnulli ſeorſim in vaſtas ſolitudines ſe abdiderunt, quod fuit *Anachoretarum* initium: alii verò cum S. Antonio turbas ita declinârunt, ut nihilominùs cum pluribus ejuſdem ſublimioris propoſiti viris ſimul conviverent, ab ea ſimul commorandi, & pro ſpirituali animæ profectu ſæpius conveniendi, ac inter ſe conferen

discip

diſciplina *Cœnobitæ* vocati: quorum vitæ ſanctitas, & inde diffuſa nominis fama teſte S Hieronymo *L. 3. adverſ. Ruff.* fideles ab extremis etiam partibus Occidentis ad inviſenda, Religionis causâ, Ægypti Monaſteria incitavit. Unde per S. Hilarionem S. Antonii diſcipulum celebris hæc vitæ ratio in Syriam & Palæſtinam translata, tam felicibus ibidem ſuccrevit progreſſibus, ut ætate S. Hieronymi, eodem referente *in C. 9. Iſaiæ*: examina Monachorum utrinque pari inter ſe pietate contenderint. Quantùm porrò per reliquum Orientem ſacratiſſimum hoc vitæ genus propagatũ fuerit, S. Auguſtinus, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Baſilius, S. Athanaſius, aliique dignis elogiis celebrant: à quorum ultimo Romam profugo aſceſin Monaſticam in Occidentem illatam ſæpe laudatus S. Hieronymus *epiſt. ad* Principiam; Ejuſdemque coævus Eccleſiæ Doctor S. Auguſtinus *L. 8. Confeſſ. c. 6.*

extra

extra Mediolani mœnia *bonos fratr*
(Monachos) collocatos fuiſſe oſten
dit: quorum inſtituto ampliùs pro
pagando in Africa idem S. Hippo
nenſis Præſul, à ſuo ex Italia redi
operam ſpecialem impendit. Neque
Germanos, Gallos, Hiſpanos, Italos
& alios rerum Eccleſiæ gnaros late
quid à S. Athanaſio Treviris, à S.
Martino Epiſcopo Turonenſi, S.Ho-
norato, & S.Exuperio in Gallia, à S.
Fulgentio in Sardinia, à S. Niceta
Germania & Pannonia, à Venerabi
Donato Monacho in Hiſpania, à
Audio in Gothia, à S. Benedicto p
Occidentem univerſum, quid deni
que ab aliis alibi exantlatum fuer
pro introductione Religioſorum.

134. Hi cùm ab initio extra ſacro
Ordines conſtituti, ad Hierarchiam
imperantem non pertinuerint; ſe
ad medium quendam ſtatum inter
Clerum ac plebem: iis pro partici-
patione ſacrorum ad baſilicam vel Ec-
cleſiam communem cum popu

co

conveniendum , ibidemque extra Sanctuarium , medio inter Clerum & populum loco ſtandum fuit : Anachoretis exceptis , quibus in remota ſolitudine , procul ab omni fidelium coetu verſantibus SS. Eucharistiam certis temporibus tranſmiſſam S. Baſilius *in Epiſt. ad Cæſarem Patrit.* & Palladius *in hiſt. Lauſiac. c. 9. & 52.* affirmat. Verùm aucto Monachorum numero, hi propria Oratoria habere cœperant, & cum his vel Presbyterum de Parochia ſeu Eccleſia Cathedrali ſpecialiter ad id ab Epiſcopo deputatum *Con. Calced. Can.* 8. vel ex conceſſione Paſchalis II. aliorumque SS. Pontificum, Sacerdotem de Clero in Conventu alendum ; vel denique Regularem, in Anglicano Concilio A. C 967. *Can.* 46. dictum *Miſſalem*, de cujus manu in Oratoriis ſuis ſacra Myſteria percipiebant. Et cùm progreſſu temporis, auctâ fidelium multitudine, cui minùs frequens Clericorum numerus alicubi

 non

non erat ſufficiens , in horum ſubſi-dium, *diſpenſante* ſuper ſolitudini[s] Monaſticæ legibus *Charitate* , Reli-gioſorum aliqui Clericales actus ex-ercere cœpiſſent : integræ poſtmo-dum Religiones vitam mixtam pro-fitentes, de conſenſu SS. Pontificum in Eccleſiam introductæ fuerunt, quibus certâ lege adminiſtratio ſacra-menti Pœnitentiæ, & prædicatio Verbi Divini ad plebem fuit conceſſa. Hi[s] ita prænotatis.

135. Si lex Conſtantini M. ad no-ſtra hæc uſque tempora in extenſi[s] perlata fuiſſet, dictu perquàm facile foret, quouſque ſe conceſſa primùm ab Ipſo Eccleſiis immunitas localis protenderit : verùm cùm nec illa ho-die ſuperſit, nec acta S. Sylveſtri re[m] ſatis amplè definiant, è ſubſequen-tium Imperatorum fidelium praxi, & primo Legis ſeu privilegii tenore ju-dicandum, atque omnino dicendum eſt, cùm lex naturalis, etiam ſuppo-ſitâ ſanctitate loci, immunitatem

loc[i]

localem abſolutam non præcipiat, quippe cui extractio delinquentium, quæ per ſe juſta eſt, nequaquam repugnare videtur, primos Aſyli terminos (quando unici tantùm Altaris in Eccleſiis, ùt apud Græcos etiamnum, uſus fuit) veroſimiliter Sacrarii Cancellis circumſeptos, hominibuſque, ùt ſcribit S Sophronius in *Prato ſpirituali c.*4. non vanè perſuaſum fuiſſe, ſingulis Altaribus conſecratis aſſiſtere deputatos cœlitus Angelos, in quorum proinde conſpectu, ab ara ſalutis (ad quam Nazianzenus *n.*72. allegatus & S Chryſoſtomus productus *n.*73. aliiq; immunitatẽ ſuo adhuc tempore reſtrinxiſſe videntur) ad probroſæ mortis ſupplicium trahi non deceat confugas à turba lictorum atque ſatellitum, quando ſummo etiam Principi, poſt oblationem peractam, intra ſacri Altaris ſepta manere non licuit, cujus reverentiæ Sanctuario debitæ cùm Theodoſius Imperator, donis allatis, juxta con-

ſuetudinē CPoli ex aſſentatione natam, intra Cancellos remanens, à S. Ambroſio Mediolani fuiſſet admonitus, atque extrà cum laicis conſiſtere juſſus, referentibus Sozomeno *L.* 7. *c.* 24. & Theodoreto *L.* 5. *c.* 17. invitatus deinde CPoli à Nectario, ut, oblatione factá, cum Clero permaneret, ipſe altùm ingemiſcens, à S. Ambroſio veritatis Magiſtro ſe edoctum aſſeruit, quantus honor ſancta Sanctorum deceret: cujuſmodi uſum ſuo etiamnum ævo *cit.* Sozomenus obtinuiſſe perhibuit, eundemque teſtatus fuit Theodoſius junior in conſtitutione de *Eccleſiaſtico Aſylo* Synodo Epheſinæ ſubnexa his verbis: *ad ſacra Altaria, munerum tantummodo offerendorum causâ, accedimus, & cùm circumſeptum ſacrorum adytum ingreſſi ſumus, ſtatim egredimur, nec quicquam ex propinqua Divinitate nobis arrogamus.*

*136.* Quò cùm pio auſu recurriſſent multoties confugæ, non ſinè impedimen-

pedimento Miniſtrorum Divinis aſſiſtentium, & ſervi quidam Aſyli gratiâ eodem ingreſſi, atque à Clericis rogati, ut, pro commoditate Miniſtrorum & reverentia Myſterii, nonnihil abſcederent, primò interfeciſſent è Clericis unũ, tum ſe quoq; mutuis vulneribus occidiſſent: præmemoratus Imperat. Theodoſius junior conſtitutionem præfatam edidit, de armis non inferendis intra Eccleſiam, & de Jure Aſyli ad extremas uſque fores Eccleſiæ amplioribus terminis dilatando, ut, quidquid poſt loca publica, & primas Eccleſiæ Januas interjacens fuerit, ſive in Cellulis, ſive in domibus, hortulis, Balneis, areis, atque porticibus, confugas, velut ipſa ſalutis ara, tueretur *L. Pateant.* 3. C. *de his, qui ad Eccl.* abeſſetque à ſacris Altaribus & Templis tumultus omnis, ac ea cumprimis irreverentia, quæ ab humana conditione & à natura oritur, aſſignato confugis conveniente ſpatio ad indulgendum,

ſomno atque neceſſitati naturæ in locis adjunctis, ea propter immunitate donatis, ut Imperator ipſemet his verbis ſe explicat: *Dei Templum humanâ, naturaliq; neceſſitate fœdari non patimur.* ubi cùm interioris Eccleſiæ recinctus immunitatem ſupponat, ea à Theodoſio M repetenda videtur. *L. 1. Còd. Theod. de his, qui ad Eccl.* quâ lege nulla hac de re extat antiquior in Codicibus Theodoſiano & Juſtinianæo; firmata deinde ab Honorio Imperatore *L. 34. c. Theod. de Epiſc. & Cler.* occaſione legationis ad ipſum miſſæ A. C. 399 à Concilio Carthaginenſi, *ut pro confugientibus ad Eccleſiam, quocunque reatu involutis, legem à glorioſiſſimis Principibus obtinere mereretur, ne quis eos auderet abſtrahere,* cujuſmodi Legibus cùm non omnium, maximè debitorum ad Eccleſias confugientium, ſecuritati conſultum, ipſeque S. Auguſtinus illarum vigore ex dictis *n.* 10. ad ſolvendum confugæ debitum

com-

compulſus eſſet, Leo Thrax Imperator A. C. *466.* miraculo Ardabunii Ducis Ariani militem quendam violenter ex Aſylo ſacro abſtrahere tentantis. at inviſibili vî majore repulſi permotus, *L. Præſenti. 6. C. de his qui ad Eccleſ.* ſacræ immunitatis localis privilegium ampliavit, modumque, quo creditores in ſimili caſu deberent uti, præſcripſit: quas Imperatorum Leges in favorem ſuum conditas Eccleſia lubenter admiſit, eaſdemque Canonicis ſanctionibus confirmavit, ùt liquet C. *id conſtituimus*, 36. ibi: *quod Eccleſiaſtici Canones decreverũt & Lex Romana conſtituit.* XVII. q. 4. C. *inter alia. 6.* ibi: *juxta ſacrorum ſtatuta Canonum, & traditiones Legum civilium* X. *de immun. Eccl.* ut proinde modò irrevocabiles ſint à profanis Principibus, quemadmodum publicè conteſtatus eſt Fridericus II. Imperator per conſtitutionem Romæ A C. 1220. ipſo die inaugurationis ſuæ editam, irrita declarans

omnia & ſingula, quæ libertate[m] Eccleſiæ læderent, adversùs Canoni[-] cas & Imperiales ſanctiones. Immu[-] nitas itaque Localis hodie com[-] petit

137. I. *Eccleſiis*, id eſt, locis ſacri[s] authoritate Epiſcopi primum lap[i-] dem ponentis, vel poni mandant[is] aut Crucem ibi figentis, ad publicu[m] incruenti Sacrificii Sacramentoru[m] que uſum deputatis, licét nondu[m] actu conſecratis, nec benedictis, *c.* *Eccleſiæ* 9. ubi Abb. *num.* 5. ẍ *h.ti.* etiam interdictis, aut pollutis Ab[b.] *ibid. num.* 8. ſicut & iis, quæ pr[o] unico tantùm ſexu, ùt Dunelmi & Lindisfarniæ, & Capellæ quædam i[n] Urbe deſtinatæ ſunt, ſi quando per[-] ſonæ alterius ſexûs ad eas confugian[t], Deo rem miraculis alicubi compro[-] bante, prout Symeon Monachus Du[-] nelmenſis de talibus tractans *L.* 2. *c.* 7. 8. 9. teſtatur, quòd Eccleſia S. Cuthberti nullam prorſus admiſeri[t] fœminam, niſì cauſâ Aſyli duntaxa[t]

qua[m]

quam cùm Judithæ Balduini Comitis Flandrici filiæ ſerva, extra conſugii caſum, ingredi præſumpſiſſet, ad primum ejus limen morte repentinâ deceſſerit. Idem eſt de Eccleſiis abſque ſuperioris authoritate dirutis, & cum ſpe reædificationis *L. In tantum.* 6. §. *ſacra ff. de* R. D. ita ut hìc *Eccleſiæ* nomine non ſolùm ambitus internus, ſed tota fabrica, ſcilicet Capellæ, tectum, ſcalæ, ſacriſtiæ, turres, campanilia Eccleſiæ conjuncta, porticus, atrium, cæteraque loca quomodolibet Eccleſiæ adhærentia, & ad eam pertinentia comprehendantur. *c. ſi quis in atrio* 7. *c. Frater.* 10 *c. quiſquis* 21. *c. id conſtituimus* 36. XVII *q.* 4. quod privilegium extra mœnia Caſtellorum, nondum exiſtentibus tot Eccleſiis, ad confinia per 40. paſſus intuitu matricis Eccleſiæ; reſpectu minoris autem ad 30. paſſus (quorum ſinguli 5. pedes, & ſinguli pedes 15. digitos continent, gl. in *C. ſicut antiquitus* 6. *v. paſſus ibid.*) olim extendebatur, in-

deque natum videtur, quòd dom
Canonicorum ac Parochorum i
prædictis confiniis exiſtentes ga
deant etiamnum immunitate: qua
quam hodie, aucto nimis Eccleſi
rum integras ferè Civitates finib
ſuis complectentium numero, cæ
teris ejuſmodi ſpatiis intra tot p
adjacentibus immunitas non ampli
competat, retento ſolùm ejus u
quoad exteriorem ambitum author
tate publicâ certis quibuſdam Eccle
ſiis aſſignatum, & domos Eccleſiaſti
cas eidem, ſinè interjectu public
viæ aut plateæ contiguas, quamvis in
habitatas à Conductoribus Laicis
ob privilegium locis, non perſon
conceſſum. At ſi Eccleſiam tali ambit
deſtitutam undique cingat via publi
ca, juxta hodiernam Germaniæ pra
xin, locus exterior Eccleſiæ (cuj
videlicet externi parietes in actu con
ſecrationis circumiri, ac benedici ſo
lent) privilegium immunitatis parti
cipat, quouſque ſe ſtillicidium fabri

ca

cæ Eccleſiæ viam publicam versùs protendit: ut hodie proinde, extra Eccleſiam & Loca prædicta ei annexa, ille duntaxat immunitatis localis ſe compotem faciat, qui vel intra ambitum conſiſtit; vel in Parochiali aut Canonicali, ſeu beneficiali domo, ſine interjectu publicæ viæ, contigua, vel intra ſtillicidium quâcunque corporis parte parietem exterioris Eccleſiæ muri contingit: quòd ſecùs eſt de exteriore muro cujuſcunque alterius loci pii, etiam Monaſterii, viæ publicæ correſpondente, cùm ſolus Eccleſiarum circuitus *cit. c. ſicut antiquitus*, immunitatis privilegium habeat, nec exteriores illorum parietes benedicantur. Quapropter Lezana in *ſum. v. immunitas nu.* 3. monet, confugienti ad Monaſterium, quò jure Aſyli fruatur, opùs eſſe, ut intra ejus portam ac muros conſiſtat, ubi me tamen declarationi S. Congr. immunitatis, ſiquæ forſitan extaret in contrarium, reverenter ſubmitto.

138. Tametſi porrò de confugien tibus ad Sacerdotem , qui manibu defert ſanctiſſimam Eucharistiam, ni hil à jure ſtatutum ſit , imò Gloſſa *C. Quæſitum* 30. XIII. *q.* 2. talibus A ſyli gratiam deneget , eò quòd pri legium per conſequentiam ad no expreſſa nequaquam trahendum ſ Abbas tamen in *C. ſanè* 10. *nu.* 2. *de celebr. Miſſar.* Hoſtienſis *in ſum. immunit. Eccl.* Sylveſter *V. immuni tas* 3. *q.* 1. *Sà. V. Eccleſiæ immunita* Covaruvias 2. *var. c.* 20. *nu.* 6. Al za *in Alphab. moral. v. Eccleſia ſect. nu.* 7. immunitatem concedendam exiſtimant ei, qui recurrit ad Sacer dotem manibus portantem SS Eu chariſtiam , vel celebrantem etiam extra Eccleſiam, niſi videlicet in ipſ carcere celebret, vel reo jam inclu Sacramentum miniſtret : Siquidem *Mat.* 23. *v.* 17. & 19. majus eſt Chri ſti Corpus , quod ſanctificat; quam Templum quod per illud ſanctifica tur, imò ex deductis, *nu.* 135. SS. Eu

chariſti

chariſtia eſt fundamentum immunitatis conceſſæ locis ſacris. Quod ita quidem, ſi non de jure, at ex inſigni congruentia convenire, & vix à quoquam Orthodoxo Judice manus tali confugæ injiciendas autumo, dummodo, ſicut jam aliàs monui, receptio & protectio talis confugæ nullum pro ſe jus expreſſum habentis, conſideretur, ùt effectus reverentiæ fidelium erga Auguſtiſſimum Altaris Sacramentum, & ùt officium Charitatis miſero ad ipſum ſalutis ac vitæ Authorem confugienti impenſum à pia Matre Eccleſia, pro filiis deprecante; non ùt authoritas & poteſtas: ſub cujus prætextu cùm Clerici quidam ac Monachi, occaſione Edicti Conſtantini M. *de reſcindendis per Epiſcopos iniquis ſententiis Præſidum*, reos ad ſupplicium ductos, nullis aut levibus quandoque de cauſis, quaſi vi publicâ ex apparitorum manibus præſumpſiſſent eripere, non ſinè multorum offenſa & ſcandalo: pruden-

tiores è contrà publicæque tranqui-
litatis & concordiæ ſtudioſi Epiſcopi
potiùs paternis precibus, quàm au-
thoritate agendum putârunt. Nã
fortè nonnulli Præſides aut Princi-
pes deſæviiſſent in miſeros, quibus
protegendis aut vindicandis imper-
territam opem tulerunt ſancti Eccle-
ſiæ Antiſtites, S Nicolaus Epiſcopus
Myrenſis, S. Athanaſius, S. Ambro-
ſius, S. Baſilius, S. Chryſoſtomus, S.
Auguſtinus, Balduinus Vigornenſis
Epiſcopus, ùt eorum geſta teſtantur:
ita tamen, ut nunquam malorum im-
punitatem intenderint; ſed talem ſce-
lerum pœnam, per quam vita homi-
num corrigeretur, quæque proficе-
ret ad ſalutem æternam, juxta illud S.
Auguſtini *Epiſt.* 54. *hominem miſe-
rantes, facinus autem ſeu flagitium
deteſtantes: quantò magis nobis diſpli-
cet vitium, tantò minus volumus in-
mendatum interire vitioſum.* Qua-
propter etiam olim, qui per inter-
ventionem Eccleſiæ, mortem tempo-
ralem

ralem evitaverant, illico pœnitentiæ Canonicæ ſubdebantur.

139 Hâc immunitate gaudet inſuper *Sacellum & Oratorium* Epiſcopali authoritate erectum, ſi ſit *publicum*, hoc eſt, juxta plurimas declarariones S. Congregationis Concilii habens campanam publicam, oſtium plateæ reſpondens, perpetuoque ac immutabiliter cultui Divino dicatum, atque ſub alicujus Sancti nomine inſtitutum: cujuſmodi Capellas ſeu Oratoria publica in Oppidis & Vicis extitiſſe jã dudũ tum apud Latinos, tum apud Græcos, antiqui Scriptores, ac diverſa Concilia aſſeverant: quorum uſus à nimia alicubi Parochialium Eccleſiarum diſtantia natus videtur, ùt S. Jvo Carnotenſis Epiſcopus *Epiſt.* 127. indicat, ubi laudat Mauritium Abbatem, qui de ſua licentia in Vico quodam Capellam extruxerat, *ad quam remoti à Matrice Eccleſia Parochiani poſſent convenire*, ſcilicet ad Miſſas tantùm privatas, à

Presby-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Presbyteris Vicanis , ſeu , ùt alii ap-
pellant , foraſticis celebrandas, (ut)
Zacharias P. in reſcripto *ad Pipinum*
Regem Francorum innuit, ſalvo quo-
ad cætera jure baptiſterii , & Paro-
chiarum.

140. Secùs eſt de *particularibus O-
ratoriis*, quæ habentur in privatis æ-
dibus, orationis causâ duntaxat, vel
in quorundam villis aut poſſeſſioni-
bus, & niſi urgentiſſimis de cauſis, vel
in uſum magnorũ Principum deſtina-
tæ ſint, à SS. Pontificibus, & Conciliis
Agathenſi, Turonenſi, Aquiſgranen-
ſi, imò & ab ipſomet Juſtiniano Im-
peratore, ad peragendam ibi litur-
giam improbantur, nec niſi per acci-
dens, ac eo ſolùm tempore confugas
ab extractione præſervant, quo Sa-
cerdos ibidem Divina celebrat, (ut)
ſuprà *num.* 138. oſtendi : idque odio
diſſociationis fidelis populi, quem
Eccleſia Epiſcopo ſuo, repræſentan-
ti Chriſtum, in Eccleſiaſtica ante Ma-
jeſtatem Divinam appariturа ita adu-

natum

natum voluit, ut pleræque Civitates non niſi unicam Baſilicam, unicumque Altare habuerint: & Chriſtiani veteres ſolitâ tunc phraſi *ſchiſmata*, erectionem Altaris contra Altare appellârint: donec Chriſtianæ plebis multiplicatio in eadem etiam Civitatem diverſas apparituras ſub diverſis Parochialibus Presbyteris dividi fecit, ad quos omni olim Dominicâ, in compaginationis & communionis Catholicæ ſymbolum, Epiſcopus per Acolythos Eychariſtiam ttanſmiſit, ùt apud S. Innocentium I. *Epiſt. ad Decentium Eugub. c.* 5. legitur, expreſſo hoc miſſionis Eychariſticæ ſcopo: *ut ſe à noſtra communione, præſertim illâ die, non judicent ſeparatos.* à quo uſu licèt ævum præſens receſſerit, variæque inſuper Eccleſiæ, ultra Cathedralem & Parochiales, erectæ ſint, ubi diebus feſtis de præcepto miſſis adeſſe licet: quo ad Oratoria tamen privata, ſicubi SS. hoc Sacrificium peragi permittitur, certis ſolùm perſonis in privile-

gio

gio expreſſis talis eorum uſus rel-
ctivè conceditur extra eos dies , q
maximi in feſtis habentur , quibu
ejuſmodi perſonæ , quantumvis p
vilegiatæ ( niſi eas forſan excuſet i
firmitas ) in publica Eccleſia Divi
ſub reatu peccati intereſſe tenentu
nec ullibi hodie in privatis Orato
ſi unicum Romæ in domo profe
Patrum Societatis excipias, aſſerva
SS. Sacramenti indulgetur : qu
olim *quo ad ſpecies panis* perſecuti
longumque per terras infidelium
ter , ac remota ſolitariorum à co
munibus templis diſtantia , & reſp
ctu S. Gorgoniæ Epiſcoporum ſo
ris ac Filiæ, *quo ad ſpecies vini* qu
que (nullo alio ſervati intra priva
parietes S. Sanguinis exemplo) ap
S. Nazianzenum *in Orat. funeb. de*
*Gorgon.* inſigne meritum S. Virgi
atque tum patris, tum fratris diſpe
ſatio ſingularis licitum fecit.

141. De Cæmeteriis, tempore pe
ſecutionis primitivæ Eccleſiæ, co

ſt

ſtat ea non ſolùm ſub regimine Impe-
ratorum Gentilium nullo Aſyli jure gaviſa; imò potiùs, Teſte Origene *L. 1, contra Celſum*, veluti loca Clancu-
lariorum conventuum legibus vetitorum mille criminationibus ſubjecta, & quandoque in fiſcum redacta fuiſſe, acclamantibus paſſim gentilibus apud Tertullianum *L. 10. contra Scapulam c. 147.* de ſepulchrorum fidelium areis: *areæ non ſint, areæ ipſorum non fuerunt.* Quæ ipſa potiſſimùm ratio fuit, quòd illorum temporum Chriſtiani in Campeſtribus ſepulturarum areis ſubterraneas Cryptas, ad effugiendos Frumentariorum & *Curioſorum* Provinciæ Præfecto crimina referentium oculos clandeſtinè conſtruxerint, ubi Synaxes ſuas paulò ſecuriùs celebrarent: quibus illatas ab Ethnicis ſubinde injurias, referente *cit.* Tertulliano c. 3. cœlum ipſum vindicavit: donec liberrimus eorum uſus à Conſtantino M Chriſtianis conceſſus, ac temporis tractu

Cœ-

Cæmeteriis, ſive ſeorſim extarent, ſi
jungerentur Eccleſiis, ipſum pari
Jus Aſyli publicâ authoritate ind
tum fuit: dummodo vel à ſimpl
Sacerdote benedicta eſſent, vel uni
tantùm defuncti Catholici corp
de licentia Epiſcopi, publico Ec
ſiæ ritu ibidem ſepultum: ut ſecus
de ſepultura Aſini *Ierem. 22. v 19.* ſ
ut alibi vocatur, canina *3. Reg. 21.*
4. *Reg.* 9. quali dehoneſtantur omn
ii, de quibus gloſſa in C. *ex parte*
X *de ſepulturis*, & ibi Doctores.

*142.* Cùm porrò ſub nomine *Re*
*gioſarum domuum* etiam *Xenodoc*
ad hoſpitalitatem authoritate Epiſc
pi deputata C. *de Xenodochiis* 3 &
*Ad hæc* 4. X *de religioſis domib.* co
prehendantur: ea non minùs, qu
alia loca, quæ Jure Canonico *Re*
*gioſa* cenſentur, cujuſmodi ſunt ſe
minaria, domus puellarum, & o
phanorum, Epiſcopali authorit
erectæ, domus Clericorum in com
muni viventium &c. æquè, ac lo

pr

præfata, gaudent hâc immunitate, ùt habet expreſsè conſtitutio noſtra Gregoriana ibi: *Monaſteriis, domibus, lociſq; ſacris, & religioſis.* & Imperiali pariter Jure *L. omnes 33. C. de Epiſ. & Cler. Novel. 131.* iiſdem privilegiis, quibus Eccleſiæ, perfruuntur, ita ut donatio piis ejuſmodi locis facta non indigeat inſinuatione *L. illud quod 19. C. de SS. Eccleſ.* ut verò ſimiles domus Canonicam immunitatem in Bulla Gregoriana obtineant, omnino opus eſt c. *Quiſquis* 21. XVII. q. 4. eas authoritate Epiſcopi erigi; vel ſaltem, ſi Naldo *in ſum. V. Hoſpitale n. 3. Chokier de Iuriſd. Ordin. in exempt. p. 4. q. 65 n. 1.* & aliis credimus, ſub ejus cura fundari: de quo ultimo dubitari poteſt, ex eo quòd ejuſmodi loca authoritate civili redire poſſe videantur ad uſus profanos, adeoque nomen domuum ſacrarum aut religioſarum *C. ad hæc 4. X de religioſ. domib.* nequaquam mereantur.

143. *De Palatio Epiſcopali*, licèt

ab

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ab Eccleſia ſeparato, loquitur tex
expreſſus C. *Id conſtituimus* 36. XV
q. 4. idemque Juris ſicubi forſan E
piſcopus propriam domum Epiſc
palem non habeat, aliunde cond
ctæ competere S. Congregatio I
munitatis *in Aquitanen.* 16. *Decem*
*1666.* idque, tametſi non amplius
olim, SS. Altaris Sacramentum in
reponi & aſſervari ſoleat, ob digni
tis Epiſcopalis decorem ac reveren
tiam, declaravit. Quod confugii J
ipſis Epiſcoporum perſonis ubicu
que exiſtentibus, utpore primi
authoribus omnis Eccleſiaſticæ co
ſecrationis, convenire cenſuit ap
Surium *17. Novemb* S Hugo Linc
nienſis Epiſcopus obvius furi ad p
tibulum deducto, cui à ſe benedicti
nem & gratiam petenti, ut vitam
varet, ſanctus Epiſcopus ad ſtipa
rum turmam converſus, *ſolvite*
inquit, *& ſinite abire, ubi enim E*
*copus cum fidelium populo congr*
*tus eſt; ibi eſt Eccleſia: nec minor*

*mu*

*munitas debetur lapidibus vivis, quã inanimatis*, quo argumento nonnulli, apud Barboſam *L. 2. Jur. Eccleſ. univ. c. 3. n. 69.* beneficium immunitatis inſuper extendunt ad eos, qui ſe perſonis SS Sacramentum comitantibus aggregant, quatenus unà cum ſacerdote redemptionis noſtræ pignus geſtante, Eccleſiam quandam animatam efformant. De quo quidquid ſit de ſtricto Jure: idem privilegium immunitatis localis in aliena quoque diœceſi non denegari *palatio Epiſcopi Titularis* rectè docet Diana coordinatus *To. 9. tr. 1. de immunit. reſol. 16.* cùm *cit* C. *Id conſtituimus* minimè diſtinguat, ſed abſolutè aſſerat, quòd domus Epiſcopi gaudeat immunitate: & hoc tantò æquiùs, cùm, ob diœceſim ſuã ſub infidelium manu detentam, invitus extra juriſdictionis propriæ terminum reſidere cogatur, ac proinde deſtituendus non ſit aliis prærogativis & privilegiis honorificis, dum abſque

culpa

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

culpa ſua exercitio juriſdictionis privatur : quò facit antiquus Canon Socrate *L. 7. C. 35.* adductus adversùm illos, qui Proclo Epiſcopo à Cyzicenis haud recepto honorem & miniſterium Eccleſiaſticum detrectarant : *Siquis Epiſcopus, ad aliquam Eccleſiam regendam deſignatus, ad eam non iverit, cùm illud non ob ſuam ipſius culpam, ſed quòd populus illum rejecerit, vel aliam ob cauſam, quæ ſit neceſſaria, factum ſit, eum licebit honoris & miniſterii Eccefiaſtici compotem eſſe, modò nihil faceſſat moleſtiarum Eccleſiæ.* Qui quidem honos peregrinis Epiſcopis delatus olim tantus extitit, ut Epiſcopi quidam ejusmodi per *Canonem Sardicenſem* 12. reprimendi fuerint, ne ultra tres Dominicas abeſſent ab Eccleſiis ſibi concreditis, néve, quanto tempore in aliena Diœceſi morarentur (*ad declinandū arrogantiæ crimen*) ſæpiùs frequentarent civitatem, in qua degit Epiſcopus proprius, ſed illis tribu

Dominicis potiùs in viciniore Eccle-ſia rurali obirent Divina officia, ſa-crificando ſcilicet ibidem,& concio-nando. Cùm autem Titularis, vel quiſquis alius Epiſcopus extra Diœ-ceſim ſuam, quâcunque neceſſitate, conſtitutus,in caſu confugii non ha-beat tribunal, neque juriſdictionem in actu, *cit* Diana *nu.* 11. bene obſer-vat, controverſias occaſione hujus immunitatis localis ſubortas, addu-cendas eſſe ad ejuſdem loci verum Epiſcopum, in cujus Diœceſi titu-laris exiſtit. Quin & *Palatium infe-rioris Prælati Juriſdictionem quaſi E-piſcopalem habentis* in uſu hujus Pri-vilegii manutenendum eſſe, ſi con-ſuetudine acquiſitum ſit, S. Congre-gatio immunitatis *6. Novemb. 1634.* & 27. *Martii 1645.* reſolvit.

144. Idem Juris per conſuetudi-nem quo ad *Palatia Cardinalium*, ex quo à Parochiis aut titulis ſuis ſeorſim habitare cœperunt, introductum videtur ob eminentiſſimam illorum

dignitatem, ipsâmet Epiſcopali majo-
rem *quoad officium* non unius tantùm
Patriæ, ſed totius Populi Chriſtiani
utilitatem concernens, juxta declara-
tionem Eugenii IV. in Conſtit: *non me-
diocri*, §. 14. quod tamen, poſt abro-
gationem Julii III. Pii IV. Gregorii
XIII. & Sixti V. Romæ, niſi Palatium
Eccleſiæ ſui Tituli adhæreat, ſubla-
tum: cùmque ſub Urbano VIII. in
quorundam maximè Legatorum Pa-
latiis liber Juſtitiæ curſus turbari cœ-
piſſet, hujus Papæ juſſu *5. Januarii
1626.* renovatis prædictorum Ponti-
ficum Bullis, ſub pœna criminis læſæ
Majeſtatis prohibitum fuit, ne quis
excitatis clamoribus, Cardinalium
Oratorum, ſeu Magnatum quorum-
libet nomen auxilii causâ invocare
aut quóſcunq; in ipſos alios Juſtitiæ
miniſtros cōcitare, vel ad eorundē æ-
des, aut loca circumvicina, velut Aſy-
la & receptacula dilinquentiū, confu-
gere præſumeret: cui ſimilia duo E-
dicta ſanctiſſimæ memoriæ Innocen-
tius XI. *26. Novemb. 1677.* & *22. Fe-*

*bru-*

*bruar.* 1680. per Gubernatorem Urbis publicari fecit, & noviſſimè 12. *Maii* 1687. ejuſdem Conſtitutio *cùm aliàs* prodiit, quæ cùm ſubjecta ſit omnium oculis: hoc unum ſubnecto, ſicubi *Palatia Legatorum*, de quibus Marſelaër *L. 2. de Legato diſſert.* 5. ob reverentiam ſuorum Principum, quorum perſonam repræſentant, immunitate civili gaudere ſinantur, ex ejus, tanquam juris non ſacri, violatione nullam Canonicam cenſuram incurri. Quod idem dicendum eſt de pluribus *Germaniæ Aſylis*, inter quæ olim fuit *Briſacum* Briſgoiæ oppidum ab Henrico VI. in confugium pauperum, referente Othone Friſingenſi *L. 7. c. ultim.* erectum, hodieque cum cæteris, Brich ſtatt in Franconia ſub ditione Onolzbacenſi, Reutlinga in Suevia, numerantur: ſicut & *de ſignis pacis publicæ*, vulgò Burgfrieden, locis quibuſdam publicis, & Palatiis Principum, in monumentum ſecuritatis intra certum diſtrictum, affixis: contra quorum

violatores gravibus pœnis tempora-
libus, non verò Canonicis procedi-
tur, cùm talium locorum Aſyla non
ſint ſimul Eccleſiaſtica , ſed mere
profana.

145. De *Monaſteriis & Con-
ventibus Regularium* utriuſque ſe-
xûs Gregorius XIV. apertiſſimè lo-
quitur, quorum nomine, quoad Pri-
vilegium immunitatis , venit totum
illud, quod authoritate publicâ Ec-
cleſiaſticâ ſeptum eſt , videlicet
clauſtrum, dormitorium hortus, do-
mus familiarum & animalium uſque
ad fores extremas : non item villæ
aut domus, quas ab Eccleſiis & Mo-
naſteriis ſeparatas habent Religioſi
recreationis causâ, vel ad recipiendos
hoſpites illac tranſeuntes, Trullench.
*in Decal, L.* 1. *c.* 11. *dub.* 1. *nu.* 6. Bar-
bol. *L.* 2. *Jur. Eccleſ. c.* 3. *nu.* 76. Le-
zana *v. Immunitas num.* 3. cujus de-
criminis cauſa in promptu eſt, quia
immunitas localis non conceditur
quibuſcunque Regularium domibus

ſed ſacris & Religioſis duntaxat , in quibus nimirum ſub clauſura & regula cōmorantur: vel quæ iis intra fines c. *L. pateant*, præfinitos adhærēt. Unde patet, quid de *habitaculis Eremitarum* dici poſſit, ſi triplicem eorum differentiam rectè perpendimus: I. videlicet *Cœnobitarum*, qui vitæ contemplativæ tantùm addicti, & à ſecularium convictu, omnique converſatione remoti, in communitate Religioſa, emiſſis tribus ſubſtantialibus votis, Deo ſpecialiter ſerviunt, ùt Carthuſiani, Camaldulenſes, &c. *c. cùm Monaſterium 13. Ẍ de elect. C. Privilegium 4. de V. S. in 6.* Eremitis ac ſolitariis accenſentur: quorum Monaſteria cùm verè talia, ipſiſque Religioſi à S. Sede Romana probati ſint, nullus dubitandi locus relinquitur, quin potiantur jure Aſyli. II. *Anachoretarum*, qui poſt diuturnam exercitationem in approbata Religione, de voluntate Superiorum, ad quos pertinet, procul ab ho-

minum ſocietate diſcedentes, ſoli de
gunt, & vel intra eadem commu
Monaſterii ſepta ſeorſim incolu
cellulam, è qua non ampliùs ex
unt, atque *Recluſi* vocantur; vel
ſpeluncis, ſolitudinibus, eremis, a
que ſinè certa habitatione, per d
ſerta vagantes, omnem deincep
tam ſocialem etiam cum ejuſdem
ſtituti hominibus, imò & quorum
libet conſpectum, ſi animæ paſtore
excipias, ad vacandum vitæ purio
declinant: & primorum cellæ, ut p
te intra Monaſteriorum ambitu
conſtitutæ, confugii jus non mini
ac ipſa Monaſteria obtinent: de c
terorum verò eremis, & multò m
gis de incertis & vagis aliorum ha
tationibus tenendum eſt, ſimilia h
non haberi pro verè ſacris, perpe
deputatis ad cultum divinum, aut
tam regularem exercendam, ut p
privatâ authoritate conſtructis,
talibus, quæ pro libitu converti p
ſint ad uſus profanos: quòd cùm

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

iam de iis confraternitatum Oratoriis declaraverit S. Congregatio Epiſcoporum & Regularium *in una Marſicenſi die 17. Novembr.* 1617. & S. Congr. immunitatis *in una Peruſina die 9. Decem. 1631.* apud del Bene *de immun. Eccl. c. 16. dub. 9. ſect. 12. n. 1.* quæ alicui Eccleſiæ vel Monaſterio adhærent: facilè concluditur, quid ſtatuendum ſit, de 3. *ſpecie eorum*, qui nullâ Religionis approbatæ profeſſione peractâ, nomen *Eremitarum*, & habitum à vulgari laicorum diſtinctum aſſumunt, idque vel de licentia Epiſcopi loci, cui ſe ad certum vivendi modum obligant, & adſcribuntur ſervitio certæ cujuſdam Eccleſiæ, quo caſu, intuitu actualis ſervitii, à multis DD. privilegio Canonis & fori gaudere cenſentur; vel more Sarabaitarum ex propria voluntate, nemine authorizante, & & quin cuiquam ſubjecti ſint, quales per Epiſcopum loci cogi poſſunt ac debent ad deponendum ejuſmodi

 habitum,

habitum, ac niſi pareant, excommunicari C. *Quidam Monachi* 17. XVI. *q.* 1. & incarceres detrudi: quorum habitacula, ne quidem priorum, eo præcisè, quòd ipſi ſe in iis detineant, nihil omnino participant de immunitate locali: imò, ùt refert Eminentiſſimus de Luca *in Miſcellan. Eccleſ. diſcur.* 2. *nu.* 16 S. Congregatio immunitatis in locis campeſtribus facinoroſorum hominum receptuationi expoſitis plures Eccleſias deſtrui fecit, & novas ibidem erigi vetuit, atque nonnullis Regularibus per quandam anachoreticæ vitæ ſpeciem, extra Urbes & oppida, conventum habentibus, ſeverè inhibuit, ne diffamatis ejuſmodi hominibus receptum præberent.

146. Porrò *Tertiarii* extra Congregationem in domibus privatis degentes, licèt certæ Religionis habitum deferant, cùm S. Synodus Lateranenſis ſub Leone X. Conſtit: *dum intentis Arcana.* §. *Fratres autem.* Laicis

ciis eos accenſeat, & ad Parochi curam paſtoralem pertinere declaret, nec talium ædes jus ſcriptum vel conſuetudinem firmam pro ſe obtineant: nihil immunitatis in domibus ſuis jure prætendunt: Et quamvis de Sacerdote ſanctiſſimum Altaris Sacramentum geſtante uſus ex dictis *num. 138.* obtineat, ut Reus ad talem confugiens immunitate fruatur: secùs eſt tamen *de Presbytero oleum ſanctum ad infirmos portante*, utpote quod nec Authorem vitæ & gratiæ continet, imò nec eſt Sacramentum, ſed aliquid ſacramentale duntaxat, eſſentiâ hujus Sacramenti conſiſtente in actuali unctione infirmi cum oleo per manum ſacerdotis, & ejuſdem vocali prolatione formæ verborum. Et ut, in hac materia de locis Sacrâ immunitate gaudentibus, nihil intactum remaneat, quo ad *Eccleſias & Monaſteria Monialium* monitum hoc ſalutare ſubjicio, à locorum Ordinariis, ad optimum finem, practi-

cari ſolere , ut confugæ ibidem re-
perti extrahantur quantocyus, & i
aliam Eccleſiam vel ipſum Epiſcopa
Palatium transferantur. De *Bapti-
ſteriis* denique, ne prolixior ſim, ex-
tat teſtimonium Caroli du Cang
*lib. 3. CPolis Chriſtianæ nu.* 81. Bap-
ſterium tantæ venerationis fuiſſe,
confugæ ex æde Sophiana, cæterarum
ædium Sacrarum inſtar, jus Aſyli ha-
bente, ad Baptiſterium contende-
rint, ſacrumque fontem prehende-
rint : ubi nimirum virtute regenera-
tionis ſpiritualis primum libertat
filiorum Dei ſtatum conſequeban-
tur ; cui accedit, quòd Baptiſteria ſ
orſim à Baſilicis conſtructa oli
quoque conſecrarentur certo ri
de quo *antiquus ordo Romanus*
quamvis ad ea primitus extra temp
actualis Baptiſmi adminiſtration
nō adeò facilis acceſſus cōfugis fue
cùm adhuc A. 732. Epiſcopi ex Decre-
to Concilii Toletani XVII. *Can.*
Baptiſmate peracto, oſtia Baptiſt
clau

clauſerint, & Pontificali annulo obſignârint.

## DISSERTATIO V.

### *De perſonis gaudentibus immunitate Locali.*

147. *Confugium patet quibuſque Reis non exceptis.*

148 *De confugio ſervorum, militum, & captivorum.*

149. *De Gentilibus, Iudæis, & Hæreticis.*

150. *De ſuſpenſis, vel interdictis ab ingreſſu Eccleſiæ, & excommunicatis.*

151. *De Reis civilibus.*

152. *Regula Generalis.*

153. *Utrùm Immunitas Eccleſiæ deroget etiam poteſtati Eccleſiaſticæ circa Clericos & Regulares?*

154. *Quomodo confugientes ſint excipiendi, & tractandi?*

155. *Cautela contra confugam Reum enormis criminis non excepti.*

156. *Quid agendum in locis procul ab Epiſcopo remotis?*

147. Cùm Eccleſia non ſit acceptri
perſonarum, ſed in conceſ-
ſione localis immunitatis abſolutè
ſinè ulla diſtinctione loquatur, certi
quibuſdam caſibus in conſtitution
Gregoriana ſolùm exceptis: quiſqui
ad Eccleſiam confugiens, mas, fœmi-
na, ſervus, liber, gentilis, Judæus,
hæreticus, ob alia crimina, quàm ob
hæreſim, ſuſpenſus vel interdictus ab
ingreſſu Eccleſiæ excommunicatu
non toleratus, & debitor quoque ci-
vilis ab eadem benignè recipitur
maternoque ſinu fovetur contra pœ-
nam mortis, & quamcunque aliam
corporis graviter afflictivam, *loci*
*Sancti reverentiâ*, ùt loquitur Sy-
nodus Arauſicana I. relata C. *Eos qui*
*6 diſt. 87 ac interceſſione* ita *defenſus*
quin offendatur juſtitia, & ut caſtiga-
tio delinquentis cum ejus ſpiritu
ſalute jungatur. Id quod multò ma-
gìs in perſonis inſontibus locum ha-
bet, cujuſmodi exemplum Annales
Trevirenſes *L. 6. ad A. C. 615. n. 10*

recen-

recenſent de Frideberga Gunzonis Allemannorum Ducis filia, Sigeberto Auſtraſiorum Regi deſponſa, quæ ut ſe præſervaret à nuptiis, Metis ad Aſylum Altaris confugit.

148. Circa *Servũ*, quem fuga non liberat à ſervitute ſeu obligatione reali, quâ tenetur obſtrictus, rectè diſtinguit Farinacius *de Immunit. c.4. n.68. & ſeqq.* cum Abbate & aliis ad *c. inter alia 6. x̃ h. t.* ſervum ad Eccleſiam confugientem ex metu caſtigationis herilis, etiam invitum reſtituendum eſſe Domino, receptâ ab hoc ſecuritate juratâ de illo non offendendo *cit. c. 6. §. ſi verò* niſì in eundem ſævierit, quo caſu Dominus ad venditionem ſervi compellitur etiam de Jure civili § *fin.* Inſtit. *quib. alien. lic. L. Præſenti cit.* at ſi puniri timet à Judice procedente per viam accuſationis, vel aliter, ſervo æquè, ac homini libero, beneficium immunitatis ex refugio ad locum immunem competere, cùm apud Deum

nulla ſit acceptio perſonarum. Quæ diſtinctio reſpectu fugitivi *militis*, vel *captivi* è carcere, aut è manibus li-ctorum etiã cùm ferro adhuc pedibus innexo elapſi non itidem obtinet: cùm primus per pecuniam à Princi-pe acceptam, non ſervus, ſed debi-tor, & per deſertionem aut fugam verè reus non exceptus contra ſtatum Principis, non contra ejus perſo-nam, effectus ſit: alter verò ſic effu-giendo è manibus familiæ armatæ liber evadat, neque caſum exceptum committat, ùt S. Congregatio Im-munitatis 15. *Novemb.* 1638. reſolvit: quod ſecùs eſſe notat Farinacius *de Immunit. c.* 15 *n.* 201. ſi à Miniſtris Juſtitiæ vinctus per Eccleſiam aut Cœmeterium (quod tamen non fa-cilè debet permitti) ducatur ad car-cerem, vel ad locum ſupplicii, inde-que recuſans exire per vim extraha-tur: quia tunc non ipſe confugit ad Eccleſiam, ſed per illam vinctus ab aliis ducitur; aut ſi detentus ab ali-

den

dem, vi factâ, eos unà ſecum intra locum immunem abripiat, quin ex eorundem manibus ſeſe exolvat, ùt ſæpè firmavit S. Congregatio Immunitatis, & ſignanter *in una Florentina 6. Novemb.* 1634. in qua cenſuit Oratorem non gaudere immunitate Eccleſiæ, quia ligatus unà cum birruariis ad Eccleſiam confugit, & *in alia Geracenſi 26. Septemb.* 1651. idem de fœmina quadam Eliſabetha cenſuit, *eò quòd priùs apprehenſa fuerit, & a birruariis ſemper retenta*: ut reſpectu captivorũ in hac materia pro ſtabili principio ſerviat, talibus per libertatem à detentione curiæ armatæ quoquo modo acquiſitam conferri Jus confugiendi ad ſacrum Aſylum.

149 Majus dubium eſſe poſſet *de Gentilibus* & *Judæis*, utpote non conſtitutis ſub juriſdictione Eccleſiæ, cui *1. Corinth 5. v* 12. nihil eſt cum iis, qui foris ſunt: niſi teſtaretur Barboſa *L. 2. de Jure Eccleſ. c. 3. n. 44.* à S. Congrega-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gregatione controverſiis juriſdictionalibus præpoſita A. C. 1631. fuiſſere ſolutum, quòd tales, licèt etiam ad Baptiſmum non aſpirantes, confugiendo participes fiant localis Immunitatis, quod ingens Eccleſiæ beneficium, inimicis quoque ſuis impenſum, hos ad converſionem fortiùs allicit, magiſque commendat ſummã S. Matris Eccleſiæ benignitatem: ut exemplô hoſpitalitatis à fidelibus liberaliter impenſæ S. Pachomio adhuc Ethnico ſuprà *n*. 129 oſtendi. Quod ſecùs eſt de *Hæreticis qua talibus*, velut Eccleſiæ proditoribus, & violatoribus fidei ſolemniter in Baptiſmo datæ, ſi propter crimen hæreſis, in locis, ubi non vivunt impunè, inquirantur, ut tradantur Eccleſiaſticæ poteſtati: non autẽ ob alia crimina non excepta, reſpectu quorum hæreſis ſe habet merè per accidens, & quæ delinquentem non efficiunt indignum immunitate: quo commiſerationis genere S. Auguſtinus *Epiſt.*

159. uſus legitur, quando apud Tribunum Marcellinum pro Donatiſtis, quanquam ſacerdotum & Eccleſiæ Catholicæ adverſariis, interceſſit.

150. Quamquam verò *ſuſpenſus vel interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ* arceatur ab ejuſdem ingreſſu formali in ordine ad aſſiſtendum Divinis Officiis: non ita tamen ſimul dimovetur ab ejus introitu materiali, quin per hunc ſe compotem faciat immunitatis localis; cùm nec ejuſmodi privatio reperiatur inter harũ cenſurarum effectus in Jure expreſſos; nec taliter interdictus, ingrediendo materialem Eccleſiam etiam tempore Divinorum, præcisè ad perſonam ſuam gravi pœnæ corporali, vel mortis ſupplicio ſubtrahendã, delinquere cenſeatur contra prohibitionem poſitivam Eccleſiæ non obligantis cum tanto incommodo. Quod ob eaſdem rationes de *Excommunicato*, quamvis denuntiato, & non tolerato, dicendum eſt, qui hujus immuni-

ratis beneficium æquè parùm, u
Clericus excommunicatus privile-
gium Canonis aut fori, amittit: cuju
rei univerſalis ratio eſt, quòd Jus A-
ſyli competat ipſi Eccleſiæ, quæ ni
ſpecialiter aliquem à participatione
ſui beneficii arceat, ùt infrà *diſſert.* 6
de reis criminum exceptorum vide-
bimus, omnis ad ipſam confugiens
ſinè diſcrimine Statûs, vel alteri
cujuſcunque delicti, gaudet conce
Eccleſiæ immunitate.

151. Tametſi porrò Gregorius XIV
in ſæpe laudata conſtitutione ſua lo-
quatur *de Reis*, atque idcircò immu-
nitas Eccleſiæ locum habere non v-
deatur *in cauſis civilibus*: bene tam
ex mente SS. Congregationū contra-
rium tenet Fagnanus *ad C. inter a.*
*6. n. 57. h. t.* quibus addi poſſunt
quæ *n. 136.* deducta ſunt. Nec qu
quam latet, ipſos quoque *debitores*
*viles*, quatenus in judicio convenien-
dos, aut conventos, vocari *Reos*
*biti*, & *Reos in judicio*: quorum

ſonis à corporali pœna ſalvis manentibus, nec violentæ extractioni, aut alteri vexationi corporali ſubjectis (ad quod ſolùm proficit localis immunitas) nihil vetat tales citari, ſique nec per ſe ultrò, nec per procuratorem ſe defendere velint aut valeant, eorum bona apprehendi à Judice, & ex his pro modo debiti, creditoribus ſatisfieri; vel etiam, obtentâ ſpeciali facultate S. Pontificis facilè annuentis, præfigi iiſdem ab Epiſcopo terminum ad componendum cum creditoribus, aut lapſo termino emigrandum. Quòd ſi verò, prout fraudulenti decoctores facere ſolent, in præjudicium Creditorum bona ſecum deferant in locum immunem, S. Congregatio Epiſcoporum & Regularium reſolvit multoties, ea per ordinarium illico extradenda eſſe, & competenti Judici conſignanda.

152. Cæterùm, poſt conſtitutionem Gregorii XIV. firma manet hæc Regula, quam *n.* 150. innui, cùm bene-

beneficium immunitatis intuitu loci, non verò perſonarum confugientium nullo propter delicta favore dignarum, indiſcriminatim confugis competat, omnes & ſingulos quavis de cauſa ad quemcunque locum immunem confugientes, etiam in eodem loco peccantes, à violenta extractione, & quamdiu ibidem perſiſtunt, à qualibet corporali vexatione Judicis laici tutos eſſe, niſi unum ex delictis exceptis commiſiſſe deprehendantur; vel in particularibus quibuſdam caſibus, recurſu pro opportunis proviſionibus facto, ſive ob enormitatem criminis, ſive ad occurrendum futuris ſcandalis, à S. Pontifice extractio & punitio Confugæ permittatur: immunitatis Eccleſiaſticæ præſidio tamen hoc operante, quòd plerumque confugiens præſervetur ab ordinaria pœna, atque vel ad triremes, aut opus publicum, vel ad temporalem aut perpetuum carcerem compingatur Card.
de

de Luca *in Miſcell. Eccleſ. diſc. 2. n. 5.* Pignatell. *Tom. 1. conſult. Can. 127. n. 19.* quo caſu exigenda eſt à Judice laico cautio ſaltem juratoria juxta *C. id conſtituimus 36. XVII. q. 4.* de non infligenda extracto alia pœna, quàm in S. Pontificis indulto expreſſa, Reoque poſt completum pœnæ tempus dimittendo libero, vel etiam Eccleſiæ reſtituendo: nec hodie de Confugis, ùt olim multis in locis, quod etiam voluit Synodus Colonienſis A. C. *1280. Can. 13.* indagandum eſt, an gratiâ ſeu immunitate digni habeantur.

153. His ita dilucidatis, quæſtio ſupereſt, *utrùm immunitas Eccleſiæ deroget etiam poteſtati Eccleſiaſticæ circa Clericos & Regulares?* Negat Abbas *in C. inter alia 6. n. 13.* ubi ſex rationes adducit, & ſequaces habet Azor, Belletum, Bonacinam, Delbene, Fr. Emanuelem, Genuenſem, Guttierez, Layman, Sylveſtrum, Zypæum &c. Affirmat è contrà Roma-

manus *Conſil. 126. per tot.* Cui Barboſa, Decianus, Fagnanus, Farinacius, Lezana, Tuſchus, Zabarella, aliique non pauci adhærent, quos inter ut medio tutus incedam, exiſtimo diſtinguendum, prout Lezana in *ſum. V. immunitas n. 6. in fine* ſibi ab illuſtriſſimo D. Franciſco Pauluccio quondam S. Congregationis Concilii Secretario ſuggeſtum fuiſſe affirmat, quòd Eccleſiaſtici & Religioſi fruantur hâc immunitate quoad pœnas Judiciales enormes, quæ limites diſciplinæ Eccleſiaſticæ ac Regularis correctionis excedunt: non quoad pœnas correctivas omninò neceſſarias pro conſervatione ſtatûs Eccleſiaſtici & Regularis. In quo ſenſu 31. *Auguſti* 1649. S. Congregatio immunitatis conſulta ab Epiſcopo Aretino, *an Clericus, repertus in flagranti crimine adulterii in domo immuni contigua Eccleſiæ, poſſit ab Epiſcopo ſuis carceribus mancipari ſine præjudicio immunitatis localis.* Reſpondit

poſ

*poſſe ad correctionem apud* Pignatellum *Tom. 1. conſult. can. 435. n. 1.* ſicq; non dudum in Franconia monialis quædam extra monaſterii ſui ſeptum ad vicinam PP. Capuccinorum Eccleſiam Confuga, jubente diœceſano Epiſcopo (ad quem S. Congregatio immunitatis *in una Roſſanen.* apud Nicolium *in floſculis V. immunitas. num. 1.* cognitionem, an confugiens vel extractus etiam Regularis immunitate gaudeat, pertinere declaravit) ad deſertum à ſe monaſteriũ veſpere reducta fuit ad correctioné. Aliæ verò declarationes aut reſolutiones, ſiquæ extant, de primo caſu loquuntur, in iis maximè locis, ubi conſuetudine receptum eſt, ut Clerici & Regulares immunitate locali adversùs Eccleſiaſticam poteſtatem fruantur: quæ cùm aliàs de *jure ſcripto* ſuum tribunal habeat in ipſamet Eccleſia *C. Præceptum 6. 11. q. 2.* & citra violationem immunitatis, aut irreverentiam loci ſacri, ſubditos ſuos

ibidem

ibidem , velut in proprio territori
ſuo, puniat. C. *Tuæ 6.* ẍ *de pœnis.* C
*universitatis 24.* ẍ *de ſent. excom.* e
juſmodi irreverentiâ ceſſante, & Gre-
gorio XIV. expreſsè tractante *de lai-
cis tantùm* juriſdictionem in Eccleſia
exercere non valentibus , maximè
Clericus non ex intentione præci
confugiendi, ſed alia de cauſa repen
tur in loco ſacro immuni : nullus
hoc caſu videtur attendendus favo
perſonæ, quem ne quidem perſona-
lis immunitas Judicis ſui Eccleſiaſtic
punitioni ſubducit.

154. Sequitur nunc explicandum *quomodo confugientes excipiendi atque tractandi ſint?* ubi primò vel
ti certum ſupponitur, hoc ipſo, quò
alicui loco immunitas data ſit , da
etiam cuilibet jus confugiendi ad ea
dem , quin citra injuriam à non ha
bente authoritatem arceri poſſit, v
expelli. Quamvis autem in caſu Gre
gorianæ Conſtitutionis , durante co
gnitione , an Confugæ delictum e

cepu

ceptum commiſerit , ad inſtantiam Judicis laici , invitus trahi poſſit extra Eccleſiam ad locum tutiorem: nequit tamen Epiſcopus Confugas ab eadem extrahere ad effectum examinis in cauſa criminali , ùt S. Congregatio immunitatis *in una Mutinen. 13. Iulii 1638.* Epiſcopo Mutinenſi reſcripſit : multò minùs præcludenda ſunt tali confugæ neceſſaria vitæ media , quæ foret indirecta extractio : imò ſi vel per vim injuſtam poteſtas laica delationi neceſſariorum præcluderet aditum ; vel inops confuga de proprio , aut ab amicis vel conſanguineis ſuis interim ali nequiret, ſuadet Imperator *cit. L. Præſenti. 6. §. ſanè C. de his, qui ad Eccleſiam confug.* eum ſuſtentari expenſis Eccleſiæ , cujus videlicet protectioni commiſſus juxta *num.* 105. non ita derelinquendus eſt, ut inediâ coactus ſe tradat Judici ſeculari. Farinac. *de immunitate c. 19. num.* 296. Et quoniam plerumque non niſi Rei capitalium criminum ,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aut fraudulentæ decoctionis, vel ma-
gni æris alieni culpabiliter contracti,
loca immunia petere ſolent: ut Eccle-
ſia non minorem pro ſalute animæ,
quàm pro eorundem vita & corpore
curam oſtendat, primâ animi per-
turbatione (quæ tales comitari ſo-
let) ſubmotâ, exaggeranda eſt im-
menſa Dei bonitas ipſis nihil minùs
merentibus præſtita, cui ingratis eſſe
non liceat; ſed tum debitâ conſcien-
tiæ expiatione, tum compoſitione
vel aliâ conveniente partis læſæ &
publicæ juſtitiæ ſatisfactione agen-
dum ſit, ut nihil negligatur eorum,
quæ Deum, juſtitiam, & propriam
Confugarum ſalutem concernunt.

155. At ſi Reus magni criminis
non excepti palàm confugiſſet, cuſto-
dia à Judice ſeculari, ad impedien-
dam ejus fugam, extra diſtrictum im-
munem appoſita, non modò prohi-
benda non foret ab Epiſcopo, cùm
hoc non ſit obſidere locum ſacrum,
nec reum ibidẽ vexare; ſed obſerva-

loca

locum profanum, & in illo cuſtodiã conſtituere: verùm Papa illico ea de re certiorandus, & ſecuturis ejuſdem juſſibus ſtandum eſſet: quod niſi faceret, præterquam quòd graviter irritaret Principem laicum, *malè faceret*, inquit Farinac. *de immunit c.13. num.*185. (ubi contra doctrinam *nu.* 86. notatam, ab ipſomet Epiſcopo cuſtodiam procurandam exiſtimat) *&, nî fallor, dignus eſſet reprehenſione ac punitione.* Cum quo conveniunt Canoniſtæ communiter ad ſæpe cit. *C. inter alia* 6. X *hoc tit.* quòd ſaltem (ne crimina & iniqui defendi videantur) nullus Confuga liberè dimittendus ſit; ſed de crimine, quod iniquè geſſit, puniendus pœnâ non corporali ab Eccleſiaſtico Judice, quando per hanc liberatur ab ulteriore judicio; vel ad id minimum diſponendus, ut, quantum poterit, cum læſa parte componat: correptis à Jure Canonico Clericis, qui Confugas minùs canonicè tueri præſumunt.

munt. *C. inter alia cit. C. id conſti*
*tuimus* 36. *XVII. quæſt.* 4. ubi rect
monet Eminentiſſimus de Luca *in ci*
*Miſcell. diſc.* 2. *n.* 9. tuendam eſſe qui-
dem ſingulari zelo per Epiſcopos im-
munitatem in genere, nec ejus ſpre-
tum poteſtati Laicæ eatenus conce-
dendum, ut ipſa ſibi jus dicat, pro
priâq; authoritate extrahat, ac puni
delinquentes: in quo poſteriore ca
perſonæ Eccleſiaſticæ laicis viole
ter agentibus reſiſtere poſſunt, cla
dendo fores Eccleſiæ vel loci ver
immunis, aliaque media externa, ſi
nè armis tamen, ſaltem quibus uta
tur ipſimet Clerici, imò & Cenſur
Eccleſiaſticas juxta *C. miror.* 8. XVI
*quæſt.* 4. adhibendo. Quando autem
ad præſcriptum Conſtitutionis Gre
gorianæ, ipſa poteſtas laica revere
ter, uti decet, agendo, ab Eccleſi
ſtico ſuperiore, ad quem pertine
licentiam petit extrahendi crimi
excepti Reum, tunc criminoſi n
quaquam fovendi ſunt, nec priva

ſce

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſceleratorum ejuſmodi hominum fa-
vor quieti & ſaluti publicæ, quæ ma-
ximè obtinetur ſeverâ punitione cri-
minum, atque redundante hinc in a-
lios terrore ac metu, eſt præferendus.
Quo agendi modo neglecto ab in-
diſcretis quibuſdam & injuſtis Aſyli
non bene intellecti Zelatoribus, con-
queſtus eſt dudum Farinacius *de car-
cer. q. 28. n. 75.* natam eſſe plurium
Judicum laicorum licentiam extra-
hendi delinquentes ab Eccleſiis, quòd
Prælati & Judices Eccleſiaſtici in ca-
ſibus etiam perſpicuis reddiderint ſe
nimis difficiles, ac interim Clerici
Reis fugiendi copiam, abſque ſatiſ-
factione læſæ partis & juſtitiæ publi-
cæ, procurârint.

*156* Cùm deinde, circa hanc im-
munitatem localem, Epiſcopus tum
in quibuſdam Eccleſiis ac locis quan-
tumcunque exemptis intra Diœceſis
ſuæ limites exiſtentibus, tum in vici-
nioribus Eccleſiæ & habitationi ſuæ
locis *nullius* Prælato authoritatem



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quaſi Epiſcopalem cum vera & actu-
li territorii ſeparatione habenti ſub-
jectis, juriſdictionem privativam ob-
tineat , ùt latiùs ſuprà *n.* 83 dedux-
ita ut nec tempore Sedis vacantis Vi-
carius Capitularis confugii cauſ-
cognoſcere poſſit, ùt S. Congregat-
*in una Regien. Calabriæ* 19. *Novem-*
*1641.* reſpondit , conformiter Bull-
Gregorianæ , ipſiuſque Cancellar-
& Datariæ Apoſtolicæ ſtylo , quæ S-
de Epiſcopali vacante , diſpenſatio-
nes , & ſimiles gratias Epiſcopo vic-
niori , aut ejus Vicario , non Vicari-
Capitulari dirigere ſolet : tamen
priuſquam certior fieri poſſit Epiſco-
pus , conſentaneum ac laudabile
ut quicunque ſuperiores Eccleſiar-
aut locorum immunium , quò ſe
ceperit Confuga , iis , quæ immuni-
ti tuendæ deſerviunt , quantùm
prout oportet , ſedulò ac diſcrete
ingerant: ubi primùm tamen Epiſ-
pus , qui ſtatim monendus eſt , p-
videt , nihil ampliùs , præter ſol-
obſ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

obſequii gloriam, illis gerendum relinquitur, etiam Teutonicis ac Hieroſolymitanis militibus circa proprias ſuæ religionis Eccleſias, Commendas, ac Domos. Emin. de Luca *in Miſcell. Eccleſ. cit. diſc. 12. nu. 14.* qui proinde non minùs, ac cæteri Regulares quomodolibet exempti, ſubſunt in his diſpoſitioni Epiſcopi, nec hujus ordinationibus ſeu circa perſonam cujuſvis Confugæ, ſeu circa poteſtatem laicam, ſeu circa quæcunque alia localem immunitatem reſpicientia, quomodocunque adverſari, aut ſeſe opponere poſſunt, factâ per S. Pontificem Epiſcopo poteſtate, quemlibet Regularem, qui extractionem Rei à quovis loco immuni ab Epiſcopo præceptam impedire præſumeret, conſignandi quamprimùm ſuperioribus ſuis Regularibus, qui eundem ad Urbem tranſmittere, ac interim S. Congregationem immunitatis ea de re docere tenentur, ùt eadem cenſuit *in una Catanen 16 Novemb.*

*vemb.* 1655. apud Pignatellum *tom.* 1 *conſult. Canon.* 466.

# DISSERTATIO VI.

## *De criminibus exceptis, quorum Rei non gaudent immunitate.*

157. *Verba Bullæ Gregorianæ de delictis exceptis.*
158. *De publicis latronibus & graſſatoribus.*
159. *De depopulatoribus agrorum.*
160. *De Reis homicidii, aut mutilationis membrorum in Eccleſia vel Cœmeterio.*
161. *De homicida proditorio.*
162. *De aſſaſſinis.*
163. *De Reis criminis hæreſis.*
164. *De Reis criminis læſæ Majeſtatis.*
165. *Quicunque alii cujuslibet criminis rei gaudent jure S. Aſyli: ubi reſpondetur ad novel. 27.*

166. *Fa*

166. *Fœdi lapſus Iuſtiniani Imp. ex converſatione cum infidelibus conſiliariis, & ignavis ſacerdotibus Palatinis.*

167. *Violentæ extractio Parthenii trahi nequit in exemplum.*

57. QUi ſcripta veterum confert cum iis, quæ poſt Conſtitutionem Gregorii XIV. ſuper caſibus exceptis, ſive Eccleſiaſticâ immunitate locali non gaudentibus, ad hujus Conſtitutionis normam, prodierunt in lucem: facilè perſpicit, ſublatam eſſe modò ampliſſimam de talibus diſputandi materiam, conſtitutâ generali hâc Regulâ, cujus *num.* 152. memini, *quibuslibet Confugis, nullius eorum criminum, quæ in hac Bulla Gregoriana diſertis verbis exempta ſunt, Reis concedi immunitatem localem*, quæcunque aliàs delicta, quantumlibet enormia, ſcandaloſa, ac Reip. nociva, & ubicunque, in ipſis etiam licèt immunibus locis,

commiſerint : reſpectu qualium etſ
non ceſſet immunitas, opportunè ta-
men S. Congregatio Immunitatis, fa-
cto ad ipſam recurſu, ex oraculo S.
Pontificis pro qualitate facti, ca-
ſuumque ſingulorum circumſtantiis,
providere omninò ſolet : ut univerſ
proinde quæſtiones in hac materi
localis immunitatis occurrentes, *fa-*
*cti* potiùs videantur, quàm *juri*
an ſcil. *verificetur caſus exceptus*, *&*
*crimen à Confuga commiſſum ſit ve-*
*rum aſſaſſinium, vel aliud delictum*
*præfata Bulla contentum?* quibus u
pro modulo meo, & publica paceſa-
tisfiat, inprimis ipſa Gregorii XIV
verba, quæ ſic habent, adduco: *a*
*laicis ad Eccleſias, locaque ſacra con-*
*fugientibus, ſi fuerint publici latron*
*viarumque graſſatores, qui itine*
*frequentata vel publicas ſtratas o*
*ſident, ac viatores ex inſidiis aggre-*
*diuntur; vel depopulatores agrorum*
*quique homicidia, & mutilation*
*membrorum in Eccleſiis, eorumq*

*Cam*

*Cœmeteriis committere non verentur; aut qui proditione proximum ſuum occiderint; aut aſſasſinii; vel hæreſis; aut læſæ Majeſtatis Rei in perſonam ipſiuſmet Principis, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur.*

158. Itaque non gaudent hâc immunitate *publici latrones*, qui tranſeuntes in viis publicis, etiam in mari, aut flumine, palàm & actualiter deprædantur: dicunturque publici vel ex notorietate *Iuris*, ſi poſt Judicialem hujus criminis confeſſionem, aut ſententiam Judicis condemnatoriam, elabantur è vinculis, vel quibuſcunque tandem viis ad Eccelſiam confugiant; vel ex notorietate *facti*, ſi deprædentur tranſeuntes in viis publicis, & itineribus frequentatis, aut ex iteratis ejuſmodi, ſecretis licèt, latrociniis, quamvis ſine cujuſquam occiſione, diffamati, communiter pro latronibus habeantur: quibus accenſentur ii quoque, qui in itineribus ac viis publicis, etiam urbium,

perſonas captivant, & ad certam ſe-
cum compoſitionem obſtringunt, ſi
id pluries ac publicè faciant; non i-
tem ſi ſecretò per minas verbales, aut
literales, quia tunc non ſunt *publici
latrones*, nec *graſſatores viarum*, quos
ita definit Gregorius Papa *qui itinera
frequentata, vel publicas ſtratas obſi-
dent, ac viatores ex inſidiis aggrediun-
tur*: quales in genere dicuntur, qui
prædæ causâ vias in urbe obſident, *l.
capitalium* 28. §. *Graſſatores ff. de pœ-
nis*, incedentesque deprædantur, ac
renitentes occidunt: ad quos à bene-
ficio immunitatis excludendos, deli-
cti, non attentati ſolùm, ſed perfe-
cti frequentia ſeu iteratio requiritur,
ex ipſa vi vocabuli *graſſari* frequen-
tiam denotantis: quemadmodum nec
ordinariâ pœnâ punitur, nisì qui ſæ-
piùs hujuſmodi crimen commiſit, cit.
§. *graſſatores*.

159. *Depulatores quoque agrorum*,
qui alienos agros diripiunt, ſegetes
ſeu fructus in iiſdem deprædantur,

aut

aut deſtruunt, vel agros aut vineas vaſtant *L. liberam*, 1. *V. populator.* *ubi Gloſſ.* & *DD. C. quando lic. unic. fin. Iud. ſe vindi.* neque refert, poſt Conſtitutionem Gregorianam ſimpliciter loquentem, an depopulator nocturnus ſit, an verò diurnus: cujus nomine hìc etiam venit, qui incendit agros, aut vineas, non item alius incendiarius, Nec opus eſt, ut ejuſmodi depopulatores id palàm faciant, ſed delictum quomodocunque patratum ſufficit, dummodo verè conſtet de illo, & pluries quidem commiſſo: ad quã frequentiam conſtituendam duo ſaltem actus conſummari requiruntur.

*160.* Sicut nec ij, qui *homicidia, & mutilationes (abſciſſiones) membrorũ* (propriũ officiũ ab aliis partibus per ſe diſtinctum habentium, cujuſmodi ſunt oculus, manus, pes, auris, lingua, mammilla in muliere, non autem digiti, vel dentes, utpote ſolummodo partes membrorum *L. item offilius.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*1. ff. de ædil. edict.*) *in ipſis Eccleſi*(etſi nondum conſecratis) *earum cæmeteriis* (non in aliis locis ſacris, quæ nec ſunt Eccleſia, nec cæmeterium, ùt in Monaſterio, Sacriſtia, nec in ſcalis, porticu, campanili, tecto Eccleſiæ Epiſcopali Palatio, Hoſpitali, &c. quæ ſub appellatione Eccleſiæ aut cœmeterii, in odioſis non comprehēduntur) *committere* (etſi lethaliter ibidem vulneratus, deinde primùm extrà deceſſerit) *nō verentur*, ubi peccare cum ſpe, vel ſine ſpe immunitatis, non variat in præſenti noſtræ conſtitutionis effectum, quia cògitationis pœnam nemo patitur in foro externo. L. *cogitationis*. 18. *ff. de pœnis.* nec fiducia immunitatis in *C fin* ẍ *h t.* pro cauſa finali apponitur, ſed in verbis narrativis facti, ex quibus Myſterium juris non ſolet induci. Ad id autem, de quo altercantur Authores: *An immunitas Eccleſiæ proſit illi, qui vel in Eccleſia ex ſtens alium occiderit, aut muti-*

*laverit*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*laverit extra Eccleſiam; vel vice verſâ exiſtens extra Eccleſiam, occiderit, aut mutilaverit hominem in Eccleſia conſtitutum?* R. cum Abbate *ad cit. C. fin. nu. 11.* Chokier *de juriſdictione ordin. in exemp. p. 4. q. 65. nu. 8.* Ambroſino *de immunitate C. 5. nu. 7. & 8.* Lezana *in ſum. V. immunitas. nu.* 11. Barboſa *L. 2. jur. Eccl. C. 3. n. 111. & 113.* neutri proficere: non *primo*, quia regulariter inſpicitur initium in delictis, taliſque mutilator vel occiſor, impio auſu ſuo executioni dato intra Eccleſiam, hanc non aliter offendit, ac ſi alterum exiſtentem in ipſamet Eccleſia enecâſſet: neque *ſecundo*, quia delictum verè patratum fuit in Eccleſia, licèt alibi inchoatum: niſi occiſor in alterutro caſu laceſſitus id fecerit cum moderamine inculpatæ tutelæ. ſecùs eſt, *de mandante homicidium vel mutilationem*: quoniam Gregorius XIV. non loquitur de mandato; ſed de ipſomet actu homicidii, vel mutilationis. Scio, hanc

Gregorii

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Gregorii XIV. Conſtitutionem trah
à nonnullis ad alia quæcunque deli-
cta in Eccleſia, vel cœmeterio com-
miſſa: ſed in pœnis & odioſis extenſio
à caſu ad caſum, ob paritatem, iden-
titatem, vel ipſam quoque majo-
ritatem (ùt ita loquar) rationis,
privatis Doctoribus permitti non de-
bet, niſì aliter cõſtet expreſsè de men-
te Legislatoris, qui, tametſi juſtè, vel
forſitan adhuc juſtius in aliis caſibus,
etiam gravioribus, idem conſtituere
potuerit, de facto tamen id nequa-
quam conſtituit, caſuſque denegan-
di confugii ad crimina duntaxat huic
ſuæ Bullæ inſerta extendit, quorum
Rei nullibi jus Aſyli participant, adeo
ut, qui non eſt tutus in una Eccleſia,
nec in alia quacunque ſecurum refu-
gii locum nanciſcatur. Ubi tamen,
quoad aliorum gravium criminum
in Eccleſiis vel cœmeteriis commiſſo-
rum reos, advertendũ eſt, ratione loci
delicti tales ab Eccleſiaſtico Judice
poſſe puniri; vel impetrari à S. Sede

Apo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Apoſtolica, ſi crimen ibi commiſſum enorme ſit, ut delinquenti gratiam immunitatis penitus adimat, eumque Judici ſeculari puniendum remittat: qui ſi, vel alius quiſque confuga, ſecum arma ad locum Aſyli detulerit, ea per Judicem Eccleſiaſticum ibi ſunt auferenda: idque in talium remiſſione plerumque attenditur, ut priùs moderatio pœnæ ordinariæ obtineatur, quod in gratiam S. Sedis Apoſtolicæ, & in honorem Eccleſiæ à Judicibus laicis denegari, durumvè putari non debet, cùm etiam de jure civili L. *Abolitio* 8. *ff. ad SC. Turpil.* ob diem inſignem, aut publicam gratulationem, factæ fuerint abolitiones Imperiales, ùt Conſtantinus Mag. ob natum ſibi Criſpum filium fecit, ipſiſque Judæis *Matth.* 27. *v.* 15 à Præſide Romano in ſolemnitate Paſchali dimiſſio unius vincti, quem voluiſſent, conceſſa; & ad placandum Numen Divinum à Romanis, teſte Livio *decad.* 1. *lib.* 5.
vin-

vincula ſubinde captivis adempta, ſicque ſeveriſſimi aliàs Judices, ob motivum cultûs Divini, aut publicæ lætitiæ, juxta phraſim Taciti in *Agric.* non pœnâ ſemper, ſed ſæpius pœnitentiâ contenti fuerunt.

161. Immunitatis beneficio inſuper deſtituitur, *qui proditoriè proximum ſuum occiderit*, id eſt, omnino incautum, nihil tale cogitantem, licèt infidelem, Judæum, hæreticum, ad quem præceptum de diligendo proximo *Mar. 12. v. 31.* non minùs quàm ad alium quemcunque fidelem extenditur, teſte Lactantio *L. 6. de Divin. inſtit. c.* 10 ideoque S. Auguſtinus *epiſt* 42. ipſos quoque Medaurenſes Idololatras titulo *fratrum*, velut unius naturæ partu effuſos, compellavit. Ubi jus commune *C. ſiquis 1. X de homicid.* immunitatem denegans ei, *qui per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias*, à Gregorio XIV. in tantum corrigitur, vel declaratur, ut nec deliberatio, nec

inſi-

inſidiæ ad immunitatis amiſſionem ſufficiant, niſi occiſor fuerit *proditor*, qui vel ſub colore ſocietatis ac amicitiæ, vel nullâ ſaltem inimicitiâ, aut rixâ præcedente, per induſtriam inſidioſam actu conſummato occiderit proximum, verè juxta Gomez *Tom. 3. variar. reſolut. c. 3.* dicendum tunc *proditum*, cui defenſio naturalis ex eo tollitur, quòd ſibi præcavere non poſſit, ſecùs ac ille, qui rixas aut inimicitiam cum altero fovet, licèt etiam cum Patre, aut germano. Quapropter meritò impia mater, quæ filium infantem, aut fœtum animatum, etſi talis dolum cognoſcere ac præcavere tunc nondum poſſit, haud veretur è medio tollere, ſicut & qui homicidium proximi, non inimici, veneno committit, à beneficio immunitatis excluditur apud Barboſam *in Collectan. Bullar. V. immunitas*, qui pro utroque caſu S. Congregationem Concilii 3. *Decemb.* 1632. allegat: dummodo, ùt dixi, nulla præ-

cavendi

cavendi cauſa præceſſerit, quâ ſup-
poſitâ, homicidium, licèt à tergo,
vel quibuſcunque technis ab inimico
patratum, quamdiu interemptus,
dum vixerat, inferendæ ſibi mortis
periculum prævidere potuit, ac præ-
cavere debuit, ab ipſo Clemente VIII.
de voto Cardinalium Burgheſii &
Plartæ, in illa *Panormitanæ immuni-
tatis Eccleſiæ*, in qua Farinacius *de
immunit. c. 9. n. 143.* ſe conſuluiſſe te-
ſtatur, ex doctrina Bartoli ad L. *re-
ſpiciendum, 9. §. delinquunt, ff. de
pœnis*, proditoriis accenſitum non
non fuit, ùt magis conſtat ex ejuſ-
dem Pontificis Brevi, *6. Febr.* 1597. ad
Archiepiſcopum Panormitanum da-
to: cujus verba adeò clara cùm qui-
dam aliter interpretari conatus fuiſ-
ſet, repoſuit Farinacius: *Pontificis
mentem, qualis fuerit, ego, qui præ-
ſens oretenus illum informavi, & ore
proprio reſpondentem audivi, meliùs
percepi, quàm qui abſens erat, divi-
nat.* Durius eſt, quòd alicubi, juxta
deci-

GI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

deciſionem Curiæ cujuſdam Archiepiſcopalis apud Riccium *p. 1. deciſ.* 168 *nu.* 2 occidens inimicum reconciliatum, ex eo non cenſeatur proditor, adeòque immunitatis beneficio deſtitutus, quòd *reconciliatus* æquipolleat *inimico*, non ablatâ ſcilicet per conciliationem, odii radice, firmiter nimis, juxta corruptæ naturæ perverſitatem, in corde, infixâ. Verùm poſtquam Farinacius *L.* 2. *Conſil. in addit. ad Conſ.* 168 *lit. D.* teſtatur, diſcuſſo, de ordine ſanctiſſimi, articulo in ſacra conſulta inſtante Card Epiſcopo Cremonenſi: eidem de juſſu S. Conſultæ per ſe ipſum fuiſſe reſcriptum: *quòd occidens inimicum reconciliatum, cum quo pacem fecerat, committat homicidiũ proditorium, ut etiam in terminis Bullæ Gregorianæ non debeat gaudere immunitate.* Ego, cum Card. Tuſcho *lit. P. Concl.* 172. *n.* 8. & *lit. R. concl.* 54. *nu.* 6. talem homicidam indubiè pro *Proditore* habendum exiſtimo, niſi nova inimicitiæ

citiæ cauſa ſupervenerit , cùm inter Chriſtianos , extinctâ per initam pacem inimicitiâ , ſine præjudicio charitatis nullus ultrà ſit locus ſuſpicioni de malo ; quò reſpexit S. Conſulta apud Sperellum *To. 2. deciſ.* 185 *num. 41.* A. Chr. *1662.* declarans, quòd attentâ novâ causâ poſt pacem ſubortâ , ſicque ceſſante fractione pacis, tametſi Reus à tergo inimicum ſuum non præcaventem occiderit, *Proditor* tamen verè dici non poſſet: tametſi vulgus eum , qui à tergo vel ex inſidiis, verrätheriſch : und ſchelmiſcher weiß, inimicum occidit, *Proditorem* appellet.

162. Privantur eodem Privilegio *Rei criminis aſſaſſinii* , qui non ſolà ſpe aliquid conſequendi, vel complacendi alteri moti ; ſed per conventionem mutuam, pecuniâ vel aliâ re æſtimabili pretio, aut ejus promiſſione homines incautos occidũt, vel occidi faciũt: quod Lezan *V. immun. n. 9* ad eos quoque extendit , qui ſcelus

hoc

GI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

hoc, quamvìs homicidio non ſecuto, attentant, quia etiam iſti, vigore *Bannimentorum Urbis C.* 19. animo occidendi concurrente cum percusſione, *Aſſasſini* vocantur : vultque Ambroſinus *de immunit.c.7. nu.* 12. quamvìs infidelis verè ſit etiam proximus noſter, in hoc crimine tamen *C. Pro humani 1. de homicid. in 6.* fieri limitationem ad fidelem occiſum.

163. Deſtituuntur quoque immunitatis effectu *Rei criminis hæreſis*: ſuper quo licèt hodie Judices Laici non poſſint cognoſcere *C. ut inquiſitionis, 18. § prohibemus, de hæret. in 6.* ſuperflua tamen videri non debet Gregoriana Conſtitutio in excipiendo crimine hæreſis ab immunitate Eccleſiæ quia poteſtas laica in ſubſidium Eccleſiaſticæ, Reum dicti criminis à loco ſacro extrahere poteſt, ut à foro Eccleſiaſtico judicetur: monente idcircò Gregorio XIV. in eadem conſtitutione ſua : *de crimine verò hæreſis cognitio ad forum Eccleſiaſti-*

*ſiaſticū tota pertineat, neque in ea Curia ſecularis ſe quo quo modo intromittat*: quod nimirum ex Divinis ſolummodo literis, Conciliis, & SS. Patribus, ſive ex verbo Dei ſcripto, & tradito, eſt dijudicandum : non exiſtentibus quoad hoc crimen aliis Laicorum Principum partibus, quàm ut compreſſo hæreticorum furore, pacem Eccleſiæ tueantur, relicto Epiſcopis munere iis per Chriſtum commiſſo, ut authoritate ſacrâ cognoſcant de hæreſi, pœnaſque debitas irrogent, quas Princeps ſecularibus pœnis in obſequium Eccleſiæ, & hæreticorum exterminium latis non prohibetur intendere, exilio ſcilicet, relegatione, vel etiam ultimo ſupplicio, poſtquàm ſemel ab Eccleſia pro verè hæreticis habiti, atque damnati ſunt, ac judici laico per legitimam requiſitionem & extraditionem commiſſi: è cujus manibus aut vinculis elabentes, quoad ipſum crimen hæreſis minimè fruuntur hâc immunitate locali.

164. D

164. Denique *Rei criminis læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis*, exercendo actionem aliquam, & influxum poſitivum in damnum ac offenſam perſonæ Principis, eam hoſtiliter inſequendo, percutiendo, vulnerando, occidendo, adversùs eandem conjurando, machinando, capturæ cooperando, conſulendo, favorem præſtando &c. licèt effectus non ſit ſecutus. Et hìc nomine *Principis* venit, qui ſupremam habet juriſdictionem, ac nemini ſubjectus eſt, ùt S. Pontifex, Auguſtiſſimus Imperator, Reges, Principesq́ue jura ſupremaiûs obtinentes, quibus ſubditus ſit offendens ratione domicilii vel originis, Clemen. *Paſtoralis 2. de ſentent. & re judic.* non item Regina, Regis aut Principis filii: quamvis & horum offenſa in primo læſæ Majeſtatis capite contineatur: quia Gregorius XIV. non niſì Reos læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis excipit, ùt clara Bullæ verba teſtantur,

gaudentibus adhuc proinde immunitate locali iis, qui Majeſtatem Principis aliter lædunt, offensâ non redundante in perſonam Principis; ſed in ejus ſtatum ſeu dignitatem.

165. Errant autem ij Laicorum miniſtri, qui apud Ambroſinum *de immunit. c. 14. n. 3.* putant, etiam poſt hanc Conſtitutionem Gregorianam non denegari jus Aſyli aliorum, quàm exceptorum, criminum Reis, ſicubi conſuetudine ita receptum ſit, utpotè cui non derogârit Gregorius XIV. ſed Bullis duntaxat B Pii V. & Sixti V. cæteriſque indultis ac privilegiis per Romanos Pontifices conceſſis Principibus Laicis circa Confugarum capturas: quibus proinde hæc Bulla nequaquam reſiſtat, niſi dictis Bullis & privilegiis innitantur. Errant, *inquam*, cùm dictus Pontifex materiam immunitatis Eccleſiarum *ad unam tantùm ubique formam reduxerit*, poſtque factam de privilegiis mentionem, *nu. 9.* cenſuras

contra

contra hujus immunitatis violatores latas ipſo facto etiam ad illos extenderit, *qui præmiſſorum, aut alio quovis prætextu, quicquam præter aut contra hujus conſtitutionis tenorem præſumpſerint attentare.* Et certè ſiquo in caſu Gregorius XIV. jus commune, vel conſuetudinem, aut quodcunque privilegium illibatum manere voluit, ùt quando de Clericis, Monachis, Ordinibus militaribus, crimine hæreſis &c. loquitur, id luculenter expreſſit: ſalvumque proinde manet Confugii jus quorumcumque criminũ non exceptorũ reis, qui ab Epiſcopis jure ſuo privari, rejicique, vel expelli (ſecluſo S. Sedis Romanæ mandato) non poſſunt, dummodo decenter ſe gerant, quietem non turbent, nec diſciplinam inficiant, neque ex poſtfacto, non jam ad refugium, ſed ad receptationem perpetuam loco ſacro abutantur. Nec obſtat *Novella 27. c. 5. & 7.* Confugii tutelam à Juſtiniano Imperatore homicidis,

micidis, adulteris, atque Virginum raptoribus negatam, & Triboniano Imperialis Palatii ſui Quæſtori injunctum fuiſſe, ut ejuſmodi delinquentes indè extraheret, ac ſupplicium iis inferret. *Primò* namque, ad evitandam legum correctionem, *de ſola Urbe CPana*, quam Leo Imperator jam antè *L. præſenti 6. princ. C. de his, qui ad Eccleſ. confug.* veluti Regiam Urbem & ſedem exceperat, intelligi poteſt: quamvis nec illud hodie obtineat, poſtquam nec in ipſa quoque S. Pontificis Sede Romana, niſi de ſpeciali ejus facultate oretenus quandoque concedi ſolita, juſtitiæ Miniſtris quenquam ex Eccleſiis abducere licet. *Deinde* invaliditatem ejuſmodi Conſtitutionum, ex quo ſemel ab Imperatoribus immunitas locis ſacris abſolutè conceſſa fuit, convincit tum Innocentii III. *C. inter alia 6. X de immunit. Eccl.* tum Gregorii XIV. per hanc Bullam certa ſolummodo delicta excipientium irrefragabilis

autho-

authoritas, cui in re ad Dei & Eccleſiarum honorem pertinente omnino hodie ſtandum; ſique contrarium alicubi etiamnum prætendi contingat, ùt de variis Europæ locis nonnulli teſtantur, aliquibus forſan in prædicta Juſtiniani Novella fundamentum ponentibus, conſiderandum eſt, an id legitimè fiat, & quantum amittendæ Dei gratiæ æternæque ſalutis periculum ij ſubeant qui, ad aucupandam Principum gratiam, hos talibus facilè annuentes (juxta illud Juvenalis *Satyr. 4.*

------ *nihil eſt, quod credere de ſe*
*non poſſit, cùm laudatur, Diis æqua*
*poteſtas*)

falsâ perſuaſione illaqueant.

166. Cujuſmodi quid accidiſſe Juſtiniano Imperatori non miror, cùm ad leges condendas præfati Triboniani Juriſperiti avidi, ac Ethnici, nec non *Joannis* Patricii crudelis, perfidi, & mille vitiis obnoxii, ac aliorum cauteriatæ conſcientiæ hominũ

 obſe-

obſequio uſus fuerit : quorum prior, ut Imperatori metum de alterius vitæ pœnis (unico Principum fræno) adimeret, referente Heſychio, ubi de *Philoſophis* ſcribit, ei certam ſui aſſumptionem ad cœlum, & præſentem corporis ſui adhuc in terra degentis immortalitatem perſuadere conatus fuit, quod ut credibilius redderet, eundem ad aſſerendam, cum Phantaſiaſtis, Chriſti quoque in hac vita carnem incoruptibilem, hancque hæreſim univerſæ Eccleſiæ per Edictum proponendam induxit: relegato Amaſeam in Pontum S. Eytychio CPano, tam impii & falſi dogmatis atque decreti contradictore : cùm priùs nimium faviſſet Acephalis, & teſte Procopio *in anecdot.* in Fauſtini & Arſenii, hoſtium fidei, gratiam, diram alicubi Chriſtianorum vexationem diſſimulâſſet : Imò, ſi verba *Novel.* 27. *c.* 5. *non permittas privilegiis aliquibus uti nocentes, ſed illud ſolùm eis in auxilium obſerva-*

*bis,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*bis, ut undique puri horum, quæ eis inferuntur, & innoxii videantur*: & C. *7. neque autem homicidis, neque adulteris, neque Virginum raptoribus delinquentibus terminorum cuſtodies cautelam: ſed etiam inde extrahes, & ſupplicium eis inferes. Non enim talia delinquentibus parcere competit, ſed hoc patientibus, ut non talia à præſumptoribus patiantur. Deinde templorum cautela non nocentibus, ſed læſis datur à* Lege: *& non erit poſſibile utrumque tueri cautelâ ſacrorum locorum, & lædentem, & læſum &c.* enucleatè perpendimus, Triboniani ſuaſu idem Imperator jus Aſyli ſacri (utpote vi hujus Novellæ innocentibus duntaxat indultum) penitus ſuſtulit: ſed nec innocentibus pepercit ejus è finibus ſuis ſemel egreſſa temeritas, dum S. Evtychium violenter ab Eccleſia per milites extrahi; & ipſummet Vigilium P. è templo S. Petri in Hormiſda ejici juſſit, miſſo illuc prætore cum multitudine ſatellitum armatorum:

rum: quibus viſis, & Diaconis ante Pontificem immaniter indè avulſis, Vigilius columnam altaris amplexus, & à commiſerante populo demum defenſus, acceptâ ſecuritatis fide, ad aſſignatas hoſpitio ſuo ædes Placidianas rediit, atque poſt paucos dies Chalcedonem in *S.* Euphemiæ templum ſe recepit, ubi, viribus nonnihil collectis, adversùs Theodorum Cæſarienſem in Cappadocia Archi-Epiſcopum, Jurium everſorem, & occultum hæreticum, *excommunicationis atque depoſitionis*; in Menam verò, & alios Epiſcopos parùm cordatos, ac Imperatori nimium conniventes *ſuſpenſionis* ſententiam concepit. Quorum inſuper conſenſu, vel ignavâ diſſimulatione, ſi demus, (ùt aliqui volunt, & Joannes P. II. innuit) Leges de perſonis aut rebus ſacris tractantes à Juſtiniano ſancitas, prout in multam ſæpe noctem eum cum ſacerdotibus converſatum, hancque ab Artabane & conjuratis

oppor-

opportuniſſimam Imperatori trucidando occaſionem exiſtimatam fuiſſe narrat Procopius *L. 3. de bel. Goth.* hæc Epiſcoporum in re tam iniqua ſuffragatio nec Juſtinianum, ejuſvè propugnatores, vel imitatores excuſat; nec conſtitutionibus aut edictis Juſtinianæis, quatenus cum fide aut Jure ſacro pugnantibus, valorem conciliat: & certè SS. Athanaſio atque Joanni Chryſoſtomo nulla major lucta, quàm cum Palatinis Sacerdotibus fuit, qui veluti mancipia quibuſque Principum actionibus, tuendis obſtricta, conſiliis, deductionibus, indignis adulationibus, ac ipſiuſmet non rarò veritatis oppreſſione, illorum animos obdurârunt.

167. Multò minùs argumentum deſumi poteſt è tumultuariis quibuſdam factis temerariæ plebis cæco ſubinde furoris impetu eò uſque ruentis, ut, nullo ſacri aut profani diſcrimine habito, in auſus ferales prorumpat: quale eſt illud relatum

à S Gregorio Turonenſi *L.3. Hiſt.c. 36. de Parthenio* gentis Anicianæ celebri proſapiâ fulgido, & Theodoberto Regi unicè charo: qui cùm, ob tributa, vivente Rege, ab Auſtraſiis rigidè nimis exacta, magnum ſibi apud ſummos æquè ac infimos odium conflâſſet, poſt Theodoberti obitum à duobus Epiſcopis, datâ fide ſalutis, Treviros quidem clàm deductus, & in ſacris ædibus intra arcam abſtruſus; verùm à populo ejus confugii notitiam conſecuto, effractis Templi foribus, à latibulo violenter extractus, vinctiſque poſt tergum manibus, inter mille improperia, ad columnam fœdâ luti ſputorumque aſpergine tetram, imbre lapidum obrutus fuit: juſto quidem Dei judicio, ob Papianillæ Conjugis infame parricidium, & inſontis Auſonii trucidationem; at non imitando exemplo.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# DISSERTATIO VII.

## *De Forma extrahendi delinquentes exceptos, & pœnis contraventorum.*

168. DE *judice immunitatis & forma Conſtitutionis Gregorianæ ſervandæ.*

169. *Laici contra hanc formam viâ facti procedere tentantes, quomodo cohibendi?*

170. *An Eccleſiæ liceat armis temporalibus tueri jus Aſyli.*

171. *De declaratione cenſuræ jam incurſæ: & quomodo vel ab Epiſcopis, vel ab ipſis confugis immunitas violetur?*

172. *Extractio Confugæ contra formam à Gregorio XIV. præſcriptam eſt injuſta, & ſacrilega, graviterq; punitur, tam de Iure Canonico, quàm de Civili.*

173. *Expedit declaratoriæ præmitti citationem extrahentis; & ubi obtinenda ſit abſolutio ab hac excommunicatione?*

168. De Judice immunitatis jam ſuprà deduxi, *num. 83.* & *156.* cum eſſe ſolum Epiſcopum, ita ut nec Capitulum tempore Sedis vacantis, nec Prælatus inferior exemptus cum qualitate *nullius*, ullas ſibi partes cognoſcendi de jure Confugarum tribuere poſſit; ſed in his duobus caſibus unicè recurrendum ſit ad Epiſcopum viciniorem: cui, juxta formam & conditiones à Gregorio XIV. præſcriptas, incumbit, ut, ante traditionem Rei, *verè* cognoſcat, quòd is delictum exceptum commiſerit: cui cùm æquè directè ac per ſe in honorem & reverentiam loci ſacri competat privilegium immunitatis, quàm ipſimet Eccleſiæ vel alteri loco immuni: licèt notoriè conſtaret à Reo confuga crimen exceptum commiſſum fuiſſe: ad ſervandam tamen dictæ conſtitutionis formam, tenetur Epiſcopus, ante relaxationem Rei, *primò* citare tum *Eccleſiam*, ſive hujus nomine *Promotorem fiſcalem*, cujus eſt defendere



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

jura Eccleſiæ ; tum & *ipſum delinquentem*, de cujus videlicet præjudicio quàm maximè agitur : *ſecundò* repetere teſtes in proceſſu informativo auditos , tum quia priùs, partibus non citatis , examinati minimè probant; tum quia non raró dictis ſuis , in bonum earundem partium , aliquid addunt, vel detrahunt, vel alio modo ſe declarant : ut proinde, quamvis ad detectionem criminis excepti, juxta plura S. Congregationis immunitatis Reſponſa relata à Pignatello *Tom. 1. conſult. Can. 127. num. 16. & ſeqq.* deſervire poſſit informatio capta ex proceſſu fabricato per Judicem laicum ante confugium; ſique tam Eccleſia, quàm Reus, teſtes pro repetitis habere , vel iis aliàs aquieſcere velint, ad ulteriora procedi queat : his tamen aquieſcere nolentibus , neceſſariò ad præfatos actus deveniendum , & quoniam ad cognitionem qualitatis delicti , non interveniente hîc ullo Accuſatore, ex

officio proceditur, adeoq́ue nec libellus, nec litis conteſtatio deſideratur: iiſdem *tertiò* terminus ad tuenda jura ſua neceſſarius atque ſufficiens concedendus eſt, & *tandem* publicandus proceſſus, Reoq́ue & Eccleſiâ nihil utiliter reſpectivè in defenſionem ſuam, vel proprii juris favorem allegantibus, atque ſic cognitâ per Epiſcopum, aut ejus Officialem, ſeu Vicarium, qualitate criminis excepti, poſt latam ſententiam de relaxando confuga Curiæ ſæculari, idem Epiſcopus vel ejus deputatus, requiſitus à Judice laico, poteſt ac debet per perſonam aliquam Eccleſiaſticam ab eo authoritatem habentem, abſolutè, ſine receptione cautionis de non inferenda morte vel pœna corporis afflictiva, abſque periculo irregularitatis, à qua præſervatur in ſæpedicta Conſtitutione Gregorii XIV. *quâcunque appellatione poſtpoſitâ*, nec attentâ etiam *quoad effectum devolutivum*, ad avertendam nimiam protractio-

tractionem judicii, conſignare dictũ Confugam Curiæ ſeculari: non obſtante *C. ſi vobis* 28. XXIII. q. 8. ubi tantùm de interceſſione Epiſcoporum, vel aliorum Eccleſiæ Miniſtrorum, pro Reis damnatis, apud Principes aut Judices laicos agitur, ùt ſuprà *num.* 95. oſtendi. Quod autem dixi de appellatione per Bullam Gregorianam Reo ſublata, idem dicendum eſt de fiſco laicali, quando Reus & Eccleſia in ſui favorem ſententiam obtinent, ne ad imparia judicentur, Scaccia *Tr. de appell. q.* 17. *limit.* 46. *num.* 3. qui ſi de facto ad ſuperiorem Epiſcopi Judicem Eccleſiaſticum, qui tamen ſit infra Papam, appellet, Judex *ad quem* rejiciet appellationem: at ſi cauſa devolvatur ad S. Pontificem, expedire videtur pro bono Rei & Pace Eccleſiæ, ut Reus ex Epiſcopali carcere reſtitutus Eccleſiæ vel cuicunque alteri loco immuni, ibidem Apoſtolicam diſpoſitionem expectet.

169. Nun-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

169. Nunquam verò Judex vel Princeps laicus, ſive in caſibus exceptis, ſive in non exceptis, contra hanc Gregorianæ Conſtitutionis formam, viâ facti procedet: cui Reum è loco ſacro, extra caſum *num. 84.* relatum, extrahere tentanti, non modò reus intra terminos inculpatæ defenſionis reſiſtere; ſed & Eccleſia ſe opponere poteſt, ac debet, dehortando, occludendo portas, ac tandem, ſi deſiſtere nolit, *C. dilecto 6. de ſent. excom. in 6.* ad arma ſpiritualia, pro ſui munimine recurrendo: quibus Hincmarus ipſe, ùt ùt S. Sedi Romanæ parùm æquus, cùm à Nicolao I. ei excommunicatio intentata fuiſſet, apud Flodoardum *L. 3. Hiſt. Rem. C. 13.* locum eſſe non negavit, quandocunque per contemptum Canones violantur. Qui ſi *in Epiſt. ad eundem Papam* ſuſtinet, iis contra poteſtatem laicam non facilè utendum: ejuſdem & ego mentis ſum, tutiora & meliora ad retinendam cum poteſtate Laica



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pacem ſequenda eſſe, quando præſertim, contemptus authoritatis Eccleſiaſticæ, & diſſidium in Eccleſia metui, aliiſque viis Eccleſiæ juribus conſuli poteſt: quo argumento etiam Ivo Carnotenſis olim Paſchalem II. à ferendis in contumaces quoſdam cenſuris, licèt in Concilio Romano decretis, retraxit, perſuaſitque Pontifici, *abundandum eſſe miſericordiæ viſceribus, ubi fas non eſt debitam exercere fortitudinem.* Ne tamen temerè nimis violetur Eccleſiæ authoritas, quis, obſecro, juſtus rerum Arbiter inficietur, etiam fas eſſe, ut ſecularium quandoque Judicum vim, quando maximè alius ſe tuendi modus non ſupereſt, cenſuris compeſcat, jubente Evgenio III. in Synodo Remenſi A C. 1148. *ne propter laicorum prohibitionem*, aut temeritatem, *Epiſcopi Eccleſiaſticam dimittant juſtitiam exercere*: quâ lege olim A. C. 1369. inductus Cuno Archiepiſcopus, ùt habent Annales Trevirenſes,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*L.* 18. *n.* 26. ob violatas SS. locorum immunitates, & perverſa Eccleſiæ jura, anathemate primùm uſus, & interdicto ſacrorum, tandem Clerum ipſum ex urbe migrare juſſit, totoque biennio ſacra ſuſpendit, donec rem prælio definivit, cæſis, captiſque pluribus, qui per diœceſin hoſtiliter graſſari præſumpſerant, & ſexaginta Equeſtris Ordinis viris ad varia loca in cuſtodiam abductis: non diffitentibus Gallis, ſuis non minùs, quàm Eccleſiæ univerſalis Canonibus excommunicari fures ſacrilegos, & in Capitularibus invaſores jurium & juriſdictionum ad Eccleſiam pertinentium, tanquam rerum Deo conſecratarum, quarum uſurpatio ſacrilegii labe non caret, anathematizari: ut proinde, quamvis à prima ſui origine hæc localis immunitas Eccleſiis, Monaſteriis, domibuſque religioſis ac piis, ab Imperatoribus laicis conceſſa dicatur, eam Eccleſiæ ſemel abſque limitatione datam, ac Deo

conſe-

GI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

conſecratam , nemo ſinè ſacrilegio rurſum tollere poſſit : cujus tuitioni ac conſervationi , niſì remedium aliud ſuppetat, recurrendo à vi Judicis inferioris ad æquitatem ipſiuſmet Principis , cum ſpe opportuni ac prompti juvaminis obtinendi , prodi nequeunt Eccleſiæ jura , nec ignavè cohibendus eſt uſus potentiæ S. Eccleſiæ ad coercitionem malorum à Deo conceſſæ : prout Henricus II. Angliæ Rex coram Eccleſiæ Romanæ Legatis agnovit , reſciſſis conventûs Clarendonenſis articulis , jam priùs ab Alexandro III. ad inſtantiam S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi Romæ damnatis , quorum unus Epiſcopis facultatem de facto ademerat excommunicandi , Regibus invitis , Miniſtros Dominicos , vel alicujus eorum terras ſub interdicto ponendi , apud Spondanum ad *A. C.* 1164 *n. 7.* quod conſonat antiquæ fidelium doctrinæ relatæ à S. Gregorio Nazianzeno *orat. 1. de Pace* ajen-

te:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

te : *nec ſegnior quiſquam eſſe debet, quàm par ſit; nec ferventior: ubi vero apertè ſe prodit impietas, tum nobis faciendum eſt, ut adverſus ignem, & ferrum, & tempora, ac denique adverſus omnia cominus feramur; nec quidquam perinde metuendum eſt, quàm ne quid magis, quàm Deum, metuamus.*

*170.* Major eſt difficultas, an Eccleſiæ liceat armis temporalibus jus ſacræ immunitatis localis contra laicorum invaſionem tueri? ubi, ut de Euſebio Metropolita Bithyniæ, poſtmodum Archiepiſcopo CPano, nihil dicam, quem miniſterio propè militari non ad vindicanda vel ſervanda Eccleſiæ jura; ſed in ope Licinio Tyranno ferenda perfunctum Conſtantinus M. apud Theodoretum *L. 1. hiſt. Eccl. C. 20.* aſſeverat, Gratianus in Decreto *c. Maximianus 3.* XXIII. *q. 3. & c. de occidendis, 9. cauſ. ead. q. 5.* ex duobus S. Auguſtini locis ſcil. *epiſt. 50. & 154.* ab ipſius Eccleſiæ

Chri-

GI 42

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Chriſti primordio allegat in hanc rem S. Paulum Apoſtolum qui *Act.* 23. *v.* 17. *& ſeqq.* detectis Tribuno per Nepotem ſuum inſidiis Judæorum ſibi paratis, deductores armatos in ſui tuitionem per viam ad præſidem Felicem aſſumpſit, nullum in effuſione ſanguinis illorum agniturus crimen, ſi Judæi, qui conjuraverant, à militibus ſecum euntibus fortè deprehenſi, atque pro merito tractati fuiſſent. De S. Cyrillo Patriarcha Alexandrino deinde teſtatur Socrates *L.* 7. *c.* 13. ab ipſo, non Auguſtalis præfecti, ſed proprio milite Judæos Alexandriâ ejectos: & ab ejus ſucceſſore Dioſcoro, licèt intruſo, ſacra Laureata novi Principis, manu militari, per Iſidorum Diaconum ductâ, ex eadem Urbe eliminata fuiſſe Sophronius civis Alexandrinus retulit in Chalcedonenſi Synodo *act.* 3. ſed & Marcellinus Apameenſis Epiſcopus in ſecunda Syria, ampliſſimum Jovis templum deſtructurus, militibus ali-
quot

quot aſſumptis ex gladiatoribus, apud Sozomenum *L. 7. hiſt. Eccl. c. 15.* adversùs illud contendit: ſcripſitque de ſe ipſo Gregorius VII. *lib. 8. epiſt. 7. ad omnes orthodoxos Epiſcopos*, ut Ravennatem Eccleſiam de impiis Guiberti manibus eriperet, ſe partes illas armatâ manu petiturum: quo eodem ſpiritu animatus Gregorius IX. à Friderico II. Imperatore obſeſſus in Urbe, reductis ad ſe tantiſper Romanorum civium animis, ac iisdem cruce ſignatis, Imperatorem, ut habet Martinus Polonus *in ejus actis*, procul abire coegit: idemque Pontifex, cùm Români nec Urbem interdici à Papa, nec ullum civem excommunicari poſſe prætenderent, ad frænandum magìs populum, auxit militiam ſuam, cui Petrum Vintoniensem Epiſcopum, arte bellandi ſub Richardo Rege Anglorum imbutum præfecit: ſimiliter S. Hilarius Epiſcopus Arelatenſis, prætensâ authoritate Zoſimi Papæ *epiſt. 7. & 8.* Prima-



GI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tum ſibi ſuper Viennenſem Provinciam vendicans, Epiſcopos à ſe ordinatos, prioribus amotis, jure Primatiali in dictam Provinciam introducturus, referente Valentiniano Imperatore *in Reſcripto ad Aetium militiæ Magiſtrum*, armatâ manu ſibi contractâ, ad reprimendos obſiſtentium alicubi civium impetus, clauſtra murorum vel obſidionibus cinxit, vel aggreſſionibus reſeravit. Circa idem quoque tempus Anaſtaſius Theſſalonicenſis Atticum veteris Epiri Metropolitanum, ſub valetudinis adverſæ prætextu renitentem, fecit à brachio ſeculari, ad dandam ſibi fidei ſponſionem in ſcriptis, Theſſalonicam deduci. Quem ſi Leo Papa *epiſt. 84.* increpat, & à traditis ſibi regulis diſceſſiſſe contendit, ob duo maximè capita Atticum duriùs tractatum exaggerat: 1. quòd ea de re potuiſſet priùs apud S. Sedem Apoſtolicam conqueri. 2. quòd contra praxin illius ævi exegiſſet ab Attico char-

tulam

tulam de ſponſione obedientiæ, ſed juramentum fidelitatis &c. ex quibus patet, ſedente Leone P. Vicarios Apoſtolicæ Sedis uſos fuiſſe operâ militum ad authoritatem ſuam aſſerendam. Quibus porrò modis immunitatem, poſt adhibita in vanum mitiora conſilia, Archiepiſcopus Cuno ſit tuitus, jam ſuprà *n. 167.* expoſui: nec minùs celebre eſt factum Adolphi à Marca Epiſcopi quondam Leodienſis relatum à Joanne Hocſemio ejuſdem Eccleſiæ ſcholaſtico, vivo tunc teſte, *L. 2. de Geſt. Epiſc. Leod. c. 11. & ſeqq.* qui ſtrenuus Antiſtes, injuriis adversùs Eccleſiam Chriſti creſcentibus, violentâ Jurium, juriſdictionum, atque bonorum præfati Epiſcopatûs invaſione graviter laceſſitus, non aquieſcente repertis ſalutaribus monitis populo de malo in peius prolapſo, Sedem Officialatûs, cum cæteris Archidiaconorum Curiis, Hoyum tranſtulit, tum civitatem ac populum Eccleſiaſtico Interdicto

dicto

GI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dicto ſuppoſuit, ac denique, nihil iſtis proficiens, ad arma converſus, iteratò compeſcuit refractariorum audaciam; qua de re cùm Hocſemius Avenione conſtitutus Papæ inquirenti dixiſſet, ab Epiſcopo armis inclyto perduelles manu propriâ debellari, Pontifexque reſpondiſſet: *certè pro Eccleſia ſua bene licebat ei:* author Joannis XXII. reſponſum demirans, quaſi adverſum Canonibus ſacris, id poſtmodum his verbis excuſat: *ſed conſiderabat forſitan Papa, quòd Imperii deſolatio, & ob hoc audacia Principum, ac indevotio cæterorum, non ſinit in hoc Epiſcopos per Alemanniam rigorem Canonum obſervare &c. & ideò neceſſitas lege caret.* ut de innumeris aliis vindicatorum per arma ſacrorum Jurium exemplis taceam, in Germania potiſſimùm, ubi quidam Eccleſiaſtici Principes Metropolim ſuam primâ vice Cataphracti ſolemniter ingredi conſueverunt, & pluribus etiamnũ in functionibus

publicis, atque ſub ipſis miſſarum ſolemnibus enſis præfertur, quem plerique in ſuis inſignibus adhuc hodie Pedo Epiſcopali apponunt: ipſimet tamen minimè tractant; ſed, ùt olim *1. Reg. 21. v. 9.* gladium Goliathi pallio poſt Ephod involutum, in ſui atque jurium ſuorum defenſionem per alios faciendam, cum Achimelecho aſſervant. Quam tuitionis Jurium Eccleſiæ viam ingenioſè magis, quàm verè, non nemo præſignatam ab ipſo Pacis authore exiſtimat, quando *Matth. 10. v. 14.* loca non recipientium fidem deſerenda dixit à SS Apoſtolis, pulveremque de pedibus (quod *clarigationis* antiquæ genus eſt) excutiendum. Sed quiſque prudens Epiſcopus in Diœceſi ſibi concredita facilè declinat, ne ſe talibus implicet, in quibus, præter ſcandalum publicum, major eſt damni metus, quàm ſpes emolumenti, omnemque Juriſdictionum conflictum, æquanimitatis atque Juſtitiæ laude a-

pud

GI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pud Principes laicos ſemel obtentâ, devitat: qui ſi vident in hac immunitatis materia non præberi fomentum pernicioſis criminibus; ſed Confugas implorantes auxilium Eccleſiæ ita ab eadem recipi, ut, dum pro horum ſalute ſolliciti ſumus, & reverenter obſiſtimus, ne defraudentur fide, quam habent in veneratione locorum ſacrâ immunitate gaudentium; minimè noceamus alteri parti læſæ; nec faveamus impunitati Reorum; ſed pro *exceptis* eos conſignemus ſæculari Curiæ, & pro *aliis criminibus* ita componere ſtudeamus de Confugarum conſenſu, cum juſtitia publica & parte damnum paſſa, ut illi ſaltem tuti ſint à pœna mortis, aut membrorum abſciſſionis: & ſecundùm mentem Eccleſiæ à S. Ambroſio *L. 2. Offic. c.* 1. expreſſam, ſinè perturbatione & cujuſquam injuria cuncta gerantur, ne videamur magìs jactantiæ causâ facere, quàm miſericordiæ, & graviora inferre vulnera,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dum levioribus mederi deſideramus. Quod tamen minimè vetat, quò minùs adversùs impios authoritatis Eccleſiaſticæ divinitus inſtitutæ contemptores, Eccleſiam audire nolentes, juxta doctrinam Chriſti Capitis noſtri, tanquam *contra Ethnicos & Publicanos* agamus, eos corripiendo, plectendo, ſique opùs ſit, à corpore Eccleſiæ abſcindendo: quod S Gregorii Nazian. Eccleſiæ CPanæ renuntiaturi in *orat. ad 150. Epiſcopos* ſupremum monitum fuit: *hoc unum requiro, ut* (ſubrogandus in Epiſcopatu) *ex eorum numero ſit, qui non, in omnibus rebus, cunctis obſequuntur; ſed qui in quibuſdam etiam, ob recti ſtudium, in hominum offenſionem incurrunt: alterum enim in præſens jucundiſſimum eſt; alterum in poſterum utiliſſimum.* Quantâ tamen in ſimilibus erga ſupremos Principes ipſos moderatione utendum ſit, S Tridentina Synodus apud Eminentiſſimum Cardinalem Pallavicinum *in hiſt. Conc. Trid. l. 22. C. 5. & ſeq.* & Illuſtriſſi-

mum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mum Spondanum *ad A. C.* 1563. *n.* 4. *& ſeqq* oſtendit, ubi cùm S. Sedis Romanæ Legati nonnulla præparâſſent, quæ in favorem immunitatis Eccleſiaſticæ conſtituenda eſſent, & ab omnibus ſub pœna anathematis obſervanda: intercedentibus tamen Ferdinando I. glorioſiſſimo Imperatore, & Carolo IX. Galliæ Rege, res tota demum *ſeſſ.* 25. *de refor. C.* 20. ad unicum duntaxat articulum eam in formam redacta fuit, quæ ſolam admonitionem erga Principes adhiberet: rogatuſque ab Alexandro II. S. Petrus Damiani Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, inter alia à S. Pontifice emendanda in Eccleſia ſignificavit ex eremo, ad quam poſt Synodum Mantuanam redierat, quòd cunctis ferè decretalibus paginis *anathema* ſubjungeretur apud Spond. *ad A. C.* 1065. *n.* 1.

171. Idem quoad declarationem Cenſuræ jam incurſæ cum proportione dicendum eſt, ſi Curia ſæcularis Confugam ſive de facto propriâ au-

thoritate extractum ; ſive per erroneam Epiſcopi ( dum res eſt integra) revocantis ſententiam traditum reſtituere detrectet : quod ultimum etiam Regens Conſtantius *in ſupplicatione ad Paulum V. pro moderanda Bulla Gregorii XIV.* apud Dianam coordinatum *Tom.9.Tr.1. de immunit. reſol.* 121. æquum agnovit , ut contra renitentes diſtrictionis Eccleſiaſticæ gladius exeratur. Ubi, ne poſt hanc Conſtitutionem Gregorianam , vel ab Epiſcopo , vel ab ipſo forſitan Reo violetur immunitas, duo notanda ſunt inſuper : *1.* quòd in caſibus non exceptis hodie , ad conſignandum validè ac licitè Reum, Epiſcopi voluntati debeat ipſiuſmet etiam delinquentis aſſenſus accedere, datâ à ſæculari Judice juratoriâ cautione de non inferenda morte, nec alia pœna corporali , ſeu corporis afflictiva , ſed pecuniaria ſolùm , vel pœnitentiali , cui etiam accenſeri poſſe videtur : nec aliter practicabilis eſt

GI
42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſt caſus conſignationis in criminibus non exceptis, poſt hanc Bullam Gregorii XIV. quæ ſtatuit, in caſibus expreſſis, *abſque cautione ejuſmodi prævia*, delinquentes tradendos eſſe Curiæ ſæculari. 2. Si Judex laicus in qualicunque extractione non ſervet formam à Gregorio XIV. præſcriptã, non ſufficere, quòd vel Reus nulliter extra Eccleſiam detentus, vel etiam in loco immuni, ad faciendam indè ſui extractionem, privilegio immunitatis renuntiet in præjudicium Eccleſiæ, vel loci immunis, utpote cui privilegium principaliter ac directè conceſſum eſt; ſed reſtituendum eſſe priùs eidem Eccleſiæ, unde voluntariè egredi, tumque demum à Miniſtris laicis extra locum ſacrum capi; ſolus tamen validè conſentire non poterit, ut è loco ſacro à poteſtate laica extrahatur.

172. Præter injuſtitiam contra Reum, localis immunitatis Privilegio tutum, à laica poteſtate commiſſam,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ratione cujus illegitimè extractum reſtituere confeſtim Eccleſiæ, & huic ſatisfacere, eoq; vel ejus heredibus omnia dãna & intereſſere ſarcire ex dictis, *n.* 81 tenetur quiſquis hujus ſceleris reus graviſſimam inſuper ſacrilegii culpam incurrit, cujus enormitas magìs patet ex pœnis tum Civilibus, tum Canonicis, adversùs ejuſmodi extractores decretis: & quidem I. *pœnâ Capitali* de Jure Civili *L. Præſenti. 5. C. de his, qui ad Eccleſ.* quod *L. Fideli. 2. C. eod* abductores inviti confugæ è loco Aſyli criminis læſæ majeſtatis condemnat, nudæque cogitationi, *cit. L. 5.* hoc eſt, ſoli conatui ſupplicium mortis præfigit. II. de Jure Canonico, *mulctâ pecuniariâ*, applicandâ in cultum offenſæ Eccleſiæ, C. *ſi quis contumax* 20. C *quiſquis* 21. XVII. *q.* 4. III *excommunicatione ferendæ ſententiæ* ſub conditione, ſi violator immunitatis Eccleſiaſticæ non reſtituat reum, nec ſatisfaciat: *per multos Canones* XVII. *q.* 4. quæ an per

Con-

CI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Conſtitut. Gregorianam mutata ſit *in excommunicationem latæ ſententiæ*, aliqui dubitant, quòd Gregorius XIV. ſolummodo pœnarum antiquarum innovationem intendiſſe videatur: Verùm, ne verba Gregorianæ Conſtitutionis: *ipſo facto*: ſuperflua ſint, affirmativè reſpondendum, & ex verbis ac mente Gregorii XIV. dicendum eſt, ab omnibus ac ſingulis quâcunque dignitate & authoritate præditis, qui confugas in non exceptis caſibus extrahunt, ſive extrahi mandant; vel non ſecundùm formam in hac Bulla præſcriptam procedunt; aut Reum à Miniſtris ſuis intra loci immunis terminos occidi faciunt, excommunicationem ipſo facto incurri. Quòd tamen reſpectu Epiſcopi ſive Clericum, ſive Laicum extrahentis (quatenus non deliquit in iis, quæ ipſi per hanc Bullam expreſsè injuncta ſunt) non aliàs obtinet, quàm ſi vel ipſe procedat ùt Princeps temporalis, cujuſmodi poteſtas in Germania cum Epiſco-

pali plerumque conjuncta eſt; Vel ùt Officialis Principis| Laici E.G.ùt Pro-Rex, Gubernator. &c.

173. Licèt autem in notoriis propriè non feratur ſententia; ſed quædam Juris executio fiat, ſi videlicet certum ſit, nullam delinquenti defenſionem, aut excuſationem competere: cùm tamen, ob verbum *Præſumpſerit* in Bulla poſitum, dolus extrahentis requiri videatur: ſemper expedit, antequam extrahens declaretur Excommunicationi obnoxius, præmitti citationem extrahentis *ad dicendum cauſam, quare &c.* quo non comparente, ſed in ſtatu excommunicationis pervicaciter permanente, procedendum eſt ad declaratoriam & affixionem ſchedularum, ut vitetur ab aliis uſq; ad obtentam abſolutionem Canonicam, ſeq; paſſim vitari conſpiciens, rubore ſuffuſus, ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum faciliùs inclinetur. *C.Piâ.1. de except.in 6.* Clemen. *de pœn.* aliiſ-

que

GI 42

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

que ſuo exemplo terrorem incutiat, ne pari paſſu procedant: rejectâ appellatione ab ejuſmodi Declaratoria, quæ, attentâ contumaciâ, ad impediendum ſolummodo Juſtitiæ curſum, attendi non debet *L. Ejus qui 1. C. quor. appell. non recip.* prout à S. Congregatione Immunitatis ſæpe reſolutum fuiſſe refert Sperellus *deciſ.* 48. *num* 49. cùm ſententia Juris ſemper juſta præſumatur, *arg. C. Erit autem* 2. *diſt.* 4. Et licèt poſt excommunicationem ſemel incurſam, extractum ab Eccleſia eidem reſtituat, oblatâq; ſatisfactione abſolvi deſideret, non per hoc liberatur à Cenſura de Jure lata ob crimen commiſſum, quouſque Canonicè abſolutus non fuerit: imò in caſibus exemplaribus adhuc deveniri quandoque ſolet ad declaratoriam & affixionem Ceduſonum, qui ad incutiendum aliis ſalutarem metum affixi remanent, donec *abſolutio*, juxta ſtylum Pœnitentiariæ & Curiæ Romanæ, ſacræq; Congre-

gationis Immunitatis ſenſum 16. *Iunii 1631.* Vicario Generali Capuæ expoſitum, à Summo Pontifice concedatur: id quod etiam ab Urbano VIII. per litteras de ejus mandato omnibus Epiſcopis ab Eminentiſſimo Bandino 15. *Martii 1629* ſcriptas declaratum refert Ciarlinus *L.1. controv. foren. c.10. num.39.* ſacraque Congregatio Immunitatis multoties reſolvit, cujus cenſuræ & iudicio hæc omnia ac ſingula devotiſſimè ſubmitto

---

# APPENDIX

## De

## ASYLO PHILOSOPHORUM,

*Veram, non ſimulatam Philoſophiam affectantium.*

174 QUam peſſulo portæ obducto *Cant. 5. v. 2.* totam nive puriorem, nævique expertem legimus,

ac

GI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ac ſui ſecuram: eadem *v.* 7. vix egreſ-
ſa è domo cruentatur in via, geſtoque
ad arcendam à ſe omnem maculam
pallio ſpoliatur à gente Aſopha, quæ
ſi veritatis explorandæ ſtudium præ-
ſefert, aut detectæ cum Pilato *Ioan.*
18. *verſ.* 38. illico dorſum obvertit,
aut malè tractatæ pallium rapit, eo
abuſura ad technas & falſitates ſuas
externo veritatis tegmine palliandas.
*Miſera Philoſophia!* deducendis ac re
gendis hominibus *Prov.* 8 *v.* 15. nata
quidē; at nullibi minùs, quā inter ho-
mines tuta, ideoq; in foraminibus pe-
træ nidum atque perfugium quæ-
rens, Petri *Bar-Iona Matt.* 16. *v.* 17.
hoc eſt, *Filii Columbæ* in Atrio Prin-
cipis Sacerdotum *Matth.* 26. *v.* 69.
*& ſeqq.* tertiò lapſi exemplo edocta
periculum ſub converſatione ſeculi
latitans: cujus dudum gnarus Elias 4.
*Regum* 1. *v.* 9. *& ſeq.* nullâ ſeu pro-
miſſorum copiâ, ſeu titulorum am-
plitudine ad Regem ac Regiam trahi
ſe paſſus eſt: ſique Sacerdotes 1. *Reg.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

22. *v.* 11. accerſiti ſunt ad Saulem, octoginta quinque illorum occidit Doëg (*motus, ſeu ſtrepitus*) veſtitos ephod lineo, ordinariaque illorum Sedes procul à domo Regis in Nobe fuit, quod à Philone *l. de nominib. hebr. in lib. Num. &* 1. *l. Reg.* vertitur *latrans*, ſeu *latratus*, ne extra urbē latratûs, degenerarent in *canes mutos non valentes latrare Iſa.* 56. *v.* 10. aut inter apparatus ac ſtrepitus aulicos, à Philoſophica ſimplicitate & quiete, extra tranquillitatis ſolidæ portum, periculosè deflecterent; aut ſcenam in aulis de ſe facerent, contra magiſtri ſui Samuelis 1. *Reg.* 15. *v.* 30 atque Philoſophiæ, fucorum ac fraudum neſciæ, doctrinam & uſum: nec immeritò, cùm ſimplex ac nuda veritas neque ceruſſam, neque larvam admittat, malitque vel in vinculis ſeorſim cum Joanne *Mar.* 6. *v.* 17. & 20. & cum Petro *Act.* 12. *v.* 7. quieſcere, quàm in molli & in omnem formam fictili habitu agitari inter menda-

ces vulgi rumores , & Principum aulas, ubi æterna Veritas ac Sapientia à proprio Diſcipulo *Matth. 26. v. 14. & ſeqq* proditur ; Barabbæ latroni *Matth. 27. v. 20.* Salvator poſtponitur , & Joannes ejus Prodromus ad ſupplicium mortis *Mar. 6. v. 27.* damnatur. Quidni igitur Philoſophia in ſolitudine petat Aſylum , quò cum Elia fugiens à facie Jezabel. 3 *Reg. 19. v. 5.* ipſoſmet cœleſtes ſpiritus in ſui conſortium trahat , atque pacificè in Jacob inhabitans , in vera Domini hereditate *Eccleſ. 24. v. 11.* moretur, velut in Philoſophorum unica ſalutis Ara & Arca, ad quam Columbæ filii , indè vel ad momentum egreſſi , niſi confeſtim revolent , accipitris unguibus proſtant, aut viſco obnoxiæ: nullâ alibi *Geneſ. 8. v. 9.* requie aut ſtatione repertâ , ubi tutò ac liberè pedem figant, aut *Mat. 8. v. 20.* cum Filio hominis caput reclinent.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# INDEX
## Rerum in his Diſſertationibus contentarum, cujus prior numerus Paragraphum, alter folium indicat.

### A.

*A*Bolitiones Imperiales, *n.* 160. *f.* 353.
*Abuſus* Miniſtrorum ſecul. in materia immunit. *n.* 2. *f.* 3.
*Ædes* Fauſtæ *n.* 36. *fol.* 64.
*Æſculapij* Templum in Græcia retinuit immunitatem, *n.* 48. *f.* 94.
*Ager* figuli cur deſtinatus in ſepulturam peregrinorum? *n.* 125. *f.* 269.
*Altare* & Templum olim unicum in pleriſq. Civitatibus, *n* 140. *f.* 305.
Altaris Aſylum ante legem ſcriptam, *nu.* 72 *f* 84. ſub lege ſcripta *nu.* 51. *f.* 100. in Eccleſia Chriſti, *nu.* 135. *f.* 291.
*Ambon*, *n.* 117. *f.* 244.
*S. Ambroſius* aſſiduus Interceſſor pro reis, *n.* 96 *f.* 202. *& ſeqq.*
*Anachoretis* olim miſſa S. Euchariſtia,

GI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtia, *n.* 134. *f.* 289. quinam propriè Anachoretæ? *n.* 145. *f.* 317.
S. *Andreæ* Corſini collecta quare mutata? *n.* 23. *f.* 35.
*Andronici* pœnæ ob jus Aſyli contemptum, *n.* 71. *f.* 145.
*Annulus* Piſcatoris, *n.* 14. *f.* 22. ejus primò meminit Clemens IV. *n.* 15. *fol.* 24.
*Annus* decimeſter ante Numam *nu.* 37. *f.* 64. alicubi à Martio, aut Paſchate inchoatus, *f.* 65. ab Incarnatione *fol.* 65. & ſeqq. annus gratiæ & miſericordiæ in Eccleſ. Alexand. & Æthiopica, *f.* 66. annus Pontificatûs à die coronatiotionis in fine litter. Papal. *nu.* 38. *fol.* 68.
*Anthropomorphitæ* Clericorum opes impugnârunt, *n.* 80. *f.* 165.
*Antiochus* Templi violator à vermibus ambeſus, *n.* 74. *f.* 158.
S. *Antonius* è ſolitudine egreſſus ad deprecandum pro reis *n.* 96. *f.* 202.
*Appellatio* à Papa ad Imp. vocata à
Con-

lim ſeorſim à templis conſtructa, *nu.* 123. *f.* 261. ſpeciali ritu conſecrabantur, *f.* 262. eorum conſpurcatio pertentoſa, *fol.* 263. eorundem immunitas, *n.* 146. *f.* 322.

S. *Baſilius* defenſor Aſyli, *n.* 72. *f.* 146. & *ſeq.* conditor magni Hoſpitalis, *n.* 131. *f.* 280.

*Brevia* & Bullæ ſunt ejuſdem roboris *nu.* 19. *fol.* 29. Brevium expeditio quomodo fiat *num.* 14. *f.* 22.

*Bullas* conficiendi modus *n.* 15. *f.* 23. Bullâ dimidiâ quando uſi Pontifices? *n.* 16. *f.* 24. antiqua Bullarum forma, *n.* 16. *f.* 26. Bullæ & Brevia in quibus conveniant *nu.* 19. *f.* 29. diſcrimen ſtyli quoad notationem annorum *n.* 37. *f.* 67.

Burgfried, *n.* 144. *f.* 315.

C.

C*Æſarum* ſtatuæ *n.* 47. *f.* 93.

*Capitulum* tempore ſed. vac. non poteſt cognoſcere ſuper immunit. *n.* 85. *f.*

GI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

83. *f.* 175. *& ſeq.* in quibus caſibu ſuccedat Epiſcopo defuncto *fol.* 176 an ejus Legati admittantur ad eligendum Regem Romanorum? *ibidem.*

*Captivus* quando gaudeat immunitate? *n.* 148. *f.* 326.

*Carceratio* confugarum quando & quomodo laicis permiſſa *nu.* 84. *f.* 177.

*Cardinalium* Palatia Romæ ſinè immunitate, *n* 144. *f.* 313.

*Carolus* M. honorificè Paderbornæ Leonem III. Papam excepit *nu.* 38. *fol.* 70.

*Caſus* in quibus confugæ ſunt remittendi *n.* 4. *f.* 6. *n.* 157. *f.* 346. caſus Mediolanenſis, *nu.* 93. *f.* 197. Monacenſis *n.* 88 *f.* 183 Neapolitanus, *n.* 89. *f.* 185. *& ſeq. nu* 92. *fol.* 194.

*Catechumeni* primi generis *num.* 116. *fol.* 243.

*Cenſurarum* uſus quandoque neceſſarius, *n.* 196. *f.* 376 *& ſeqq.*

*Chriſmatis* Sacramentum Ethnicos cela-

celatum *n. 110 f. 232.*
*Chriſtiani* traducti, ùt ſeditioſi, *n.* 10. *f.* 231. iis prohibita litigatio coram Ethnicis, *n. 113. f.* 238.
*Chriſti* promiſſum de ſfuturis Eccleſiæ opibus, *n. 80 f. 166.*
S. *Chryſoſtomi* oratio de jure Aſyli *n. 73. f. 149.* adversùs eum calumnia. *num.* 130. *f.* 278. ob animi commotionem abſtinuit à celebratione Miſſæ *n. 122. f.* 258.
*Citatio* præmittenda declarationi excommunicationis. *n. 173. f. 394.*
*Clauſulæ* derogatoriæ *nu.* 28. *f.* 42. & *ſeqq.* clauſula *ſublatâ f.* 45.
*Clemens* V. excommunicavit impugnatores litterar. Apoſt. ante coronationem confectarum. *n. 16. f. 25.* Clemens VI. Bullam plumbeam armis quoque gentilitiis ornavit. *f.* 26. S. Clementis conſtitutiones Apoſtolicæ *n.* 119. *f.* 249.
*Clementia*, motivum immunitatis. *n. 68. f.* 139.
*Clerici* exemplo ſuo reverentiam erga

ga res ſacras in animis laicorum confirment. *n.* 79. *f.* 163.

*Cœmeterium n.* 124. *& ſeqq. f.* 263. *& ſeqq.* ejus benedictio *n.* 126. *f.* 271. ibi quondam inſtitutæ ſynaxes. *n.* 127. *f.* 273. apud Ethnicos criminationibus patuit. *n.* 141. *f.* 307. ejus immunitas. *n.* 141. *f.* 307. *& ſeq.*

*Communio* quotidiana *n.* 121. *f.* 156.

*Confuga* quodammodo ſacer efficitur. *n.* 45. *f.* 89 ejus extractio ſacrilega, *num.* 68. *f.* 140. *nu.* 172. *f.* 392. unde ſuſtentandus *n.* 105 *f.* 216. *&* ſeqq. ſponte à loco immuni recedens amittit privilegium immunitatis. *nu.* 82. *f.* 172. reus criminis excepti quomodo conſignandus? *n.* 83 *f.* 173 propriâ authoritate à laicis extrahi nequit *n.* 86. *f.* 181. reus criminis non excepti an cuſtodiri poſſit in carcere, donec Papa informetur? *f.* 180. regulariter per confugium ab ordinaria pœna præſervatur. *n.* 85. *f.* 179. *n.* 160. *f.* 353. *n.* 152. *f.* 332. dum moratur in



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

loco immuni, damnari poteſt à judice ſeculari. *n.* 97. *& ſeq. f.* 203. *& ſeqq.* reus criminis mixti fori an poſſit conſignari? *n.* 102. *f.* 213. confugæ pœnitentia & emendatio ante dimiſſionem procuranda. *nu.* 103. *f.* 215. *n.* 106. *f.* 218. *& ſeqq. nu.* 154. *f.* 338. quomodo, durante confugio, tractandus. *n.* 154. *f.* 336. *& ſeq.* delatio victûs & veſtitûs ad confugam non impedienda. *n.* 104. *f.* 215. *n.* 154. *f.* 337.

*Conſtantinus M.* ceſſit jure abſtrahendi confugas *n.* 40. *f.* 75. *nu.* 56. *f.* 111. *& ſeq. n.* 64. *f.* 130. *n.* 68. *f.* 139. *n.* 93. *f* 197. noluit in Eccleſia ſedere. *n.* 56. *f* 113 ejus ſepulchrum *n.* 124. *f.* 265.

*Conſtitutio* Gregorii XIV. de immunit. loc. *nu.* 1 *f.* 2. ejus emanationis cauſæ. *nu.* 13 *f.* 21. Coloniæ eſt ſynodalibus ſtatutis inſerta. *n.* 39. *f.* 73. an ubique recepta? *f* 71.

*Convivarum* contentiones de loco ſublatæ Viennæ. *n.* 62. *f.* 125.

Cum

GI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Cuno* Archiep. Trevir in ſubſidium uſus cenſuris, & armis *n.* 169 *f.* 377. & *ſeq.*

*Cuſtodia* loco immuni exteriùs à Judice laico poteſt apponi. *n.* 104. *f.* 216. *n.* 155. *f.* 338.

S. *Cyrillus* Alexan. ex ſola ſuſpicione damnatus, inter reos ſe collocavit. *n.* 32. *f.* 56.

D.

S. *Damaſus* P. an ſe ſcripſerit ſervum ſervorum Dei. *n.* 18. *f.* 28.

*Damnatis* ſupplicio capitali olim alicubi denegata fuit gratia reconciliationis *n.* 57. *f.* 16.

*Data* Bullæ Greg. *n.* 12. *f.* 15. Data litterar. Apoſtol. Romæ duplex ratione loci *n.* 36. *f.* 62. quomodo concipiatur extra Urbem *f.* 63. Datarum annus qualiter in ſingulis litterar. Papal. generibus computetur? *n.* 37 *f.* 68.

*Debitores* quomodo gaudeant immuni-

munitate.*n 151.f. 330. & ſeq.*

*Decretum* irritans Conſtit. Greg. inſertum *n.* 10. *fol.* 11.

*Delicta* excepta. *nu. 157. f. 346.* quæcunque non expreſſa in Conſtit. Greg. minimè tollunt beneficium immunitatis. *n. 160. f.* 352.

*Depopulatores* agrorum. *n.* 159. *f.* 348. *& ſeq.*

*Dii* tutelares evocati ante Urbium oppugnationem. *n.* 46. *f.* 92.

*Dimiſſiones* reorum ex motivo Religionis. *n.* 160. *f.* 353.

*Diocletianus* voluit annos ab Imperio ſuo numerari. *n* 37. *f.* 65.

*Diœceſum* in Germania vaſtitas. *n.* 83. *fol.* 173.

*S. Dionyſio* Areop. tributa opera, videntur eſſe alterius Dionyſii junioris. *n.* 132. *f.* 283.

*Diſpenſationes* non diriguntur ad Vicarium Capitularem. *n.* 156. *f.* 342.

*Diſputandi* materia de immunit. hodie ſublata. *n.* 157. *f.* 345.

*Doloſa* promiſſio reddit extractionem

GI 42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nem nullam. *n.* 81. *f.* 170.
*Domnus* Apoſtolicus cur Papa vocetur in Litaniis? *n.* 25 *f.* 38.
*Domus* Canonicor. & Paroch. gaudent immunit. *n.* 137. *f.* 298.
*Donatus* ſynodaliter damnatus in Palat. Later. *n.* 36. *f.* 64.

## E.

ECcleſiæ religio in protectione confugarum non impugnat juſtitiam ſeculi. *n.* 58. *f.* 117. Eccleſiæ Metropol. & Cathed. in Italia quot. *nu.* 83. *f.* 173. Eccleſiæ ſeu loca cultui Divino dicata jam à tempore Apoſtolorum. *n.* 109. *f.* 227. Eccleſiæ ante Imperium Conſtantini M. *nu.* 109. *f.* 229. quatenus gaudeant immunitate. *n.* 137. *f.* 296.
*Eccleſiaſtica* authoritas olim per Principes promota. *n.* 101. *f.* 211. Eccleſiaſtici Judicis licentia neceſſaria in extractione confugarum. *n.* 5. *f.* 8. *n.* 81. *f.* 170. Eccleſiaſtico-

rum privilegiis non derogatur per Conſtit. Gregor. *n.* 8. *f.* 10.

*Epiſcopi* nomen abſolutè, ſinè addito particularis Eccleſiæ, ſoli Rom. Pontifici datur. *n.* 23. *f.* 35. Epiſcopi ſunt Patres. *n.* 26. *f.* 41. quare à quibuſdam Rom. Pontificibus compellati ſint filii. *num.* 27. *f.* 41. modò vocantur à SS. Pontif. *Fratres* ex ſtylo. *fol.* 42. providere tenentur, ut lex generalis Romæ publicata in Diœceſibus ſuis innoteſcat. *n.* 32. *f.* 53. ad hoſpitalitatem ſpecialiter obſtricti. *n.* 130. *f.* 278. Epiſcopis peregrinis magnus olim honor delatus *n.* 143. *f.* 312. Iis aliquando conceſſa cognitio ſuper cauſis profanis. *n.* 100. *f.* 209. in eorum domibus olim aſſervata S. Evchariſtia. *n.* 121. *f.* 253. ſunt juſtitiæ vindices. *n.* 138. *f.* 302. an penès eorum perſonas Rei confugio gaudeant. *n.* 143. *f.* 310. Epiſcopus vicinior Judex immunitatis localis in locis nullius Diœceſis, & in vicinis

vicinis Epiſcopatibus tempore ſedis vacantis. *n.* 83. *f.* 175. *nu.* 156. *f.* 341. *n.* 168. *f.* 372. Epiſcopo differente, aut recuſante cuſtodiam confugæ, dum diſcutitur articulus beneficii immunitatis, quid ſecularibus miniſtris agendū? *n.* 84. *f.* 177

*Eucharistia* multiplex olim aſſervatio. *n.* 120. *& ſeq. f.* 250. *& ſeq.* prohibita in oratoriis privatis. *n.* 140. *f.* 306. eſt fundamentum immunitatis. *n.* 138. *f.* 300.

*Evocatio* Deorum ante Urbium oppugnationem. *n.* 46. *f.* 92.

*Euſebianorum* ſtrophæ contra S. Sedem Romanam. *n.* 32. *f.* 55.

*Eutropius* author legis latæ contra jus Aſyli. *n.* 60. *f.* 122. ſenſit pœnam talionis. *n.* 69. *f.* 141.

*S. Eutychius* ab Eccleſia violenter extractus *n.* 166. *f.* 367.

*Excelſa* Hebræorum ad tempus veroſimiliter gaviſa immunitate. *n.* 52. *f.* 101. *& ſeq.*

*Executioni* Bullarum & Brevium an



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& ad quem finem alicubi placitum Principis præmittatur? *n.* 33. *f.* 56.

*Extractioni* à loco immuni præmittenda à Judice Eccleſiaſtico cognitio criminis. *nu.* 6. *f.* 9. extractio aliter facta, ſacrilega, injuſta, & nulla. *n.* 81. *f.* 170. extrahi num poſſit reus criminis mixti fori? *n.* 102. *f.* 213. extractus invalidè, eidem Eccleſiæ reſtituendus. *n.* 86. *f.* 181. reus criminis excepti non extrahendus, niſi ſervatâ formâ Bullæ Gregorianæ *n.* 89. *f.* 187. aliter extrahens, compellendus ad reſtitutionem. *n.* 93. *f.* 195. quomodo Eccleſia ſe poſſit tueri. *n.* 169. *f.* 376.

*Extrema* vitanda. *n.* 59. *f.* 119.

F.

*Fidelium* clandeſtini conventus tempore perſecutionis. *n.* 109. *fol.* 228. illis perſecutio tyrannorum olim pro exercitatione aſcetica fuit, *n.* 132. *f.* 284.

*Filius*

*Filius* à Papa vocatur quilibet extra gradum Epiſcopalem conſtitutus, etiam Imperator, *n.* 27. *f.* 42.

*Flaminis* Dialis ædes olim immunes. *n.* 47. *f.* 93.

*Flentium* ſtatio. *n.* 115. *f.* 241.

*Fratres* ſunt omnes fideles per Baptiſmum *n.* 26. *f.* 39. non ſoli Monachi *fol.* 40.

*Fridericus* II. Imperator irrita declarat omnia, quæ lædunt Eccleſiaſticam libertatem. *nu.* 136. *f.* 295. & *ſeqq.*

G.

G*Alerii* Max. pœna. *n.* 75. *f.* 159.

*Gelaſii* P. ſenſus ſuper immunitate locali. *n.* 64. *f.* 130.

*Gentiles* frui poſſunt immunitate. *n.* 149. *f.* 327. & *ſeq.*

*Germanorum* ſubmiſſio ac devotio ſpecialis erga S. Sedem Roman. à tempore S. Bonifacii. *n.* 39. *f.* 72. eorum ſenſus de Eccleſ. immunit. lo-

cali. *n.* 65. *f.* 131. eorum hoſpitalitas. *n.* 128. *f.* 276.
*Gladius* Goliathi cur pallio à Sacerdotibus involutus. *n.* 174. *f.* 386.
*Græcorum* abuſus juris Aſyli. *nu.* 48. *fol.* 94.
*Graſſatores* viarum, *n.* 158 *f.* 348.
*S. Gregorius* M. ſe conſtanter ſcripſit ſervum ſervorum Dei. *n.* 17. *f.* 27. titulum Domini recuſavit. *n.* 25. *f.* 37. per familiarem medicum monuit Mauritium Imp. *n.* 62. *f.* 126. Gregorius V. annum Imperatoris in epiſtola expreſſit. *nu.* 38. *f.* 70. Gregorius VII appellationem Papæ ad Pontificis Rom. perſonam reſtrinxit. *n.* 23. *f.* 36. Gregorius XIV. hujus Bullæ conditor. *n.* 13. *f.* 20. conſtitutiones varias edidit. *fol.* 21.
*S. Gregorii* Naz. oratio de jure S. Aſyli *n.* 72. *f.* 146 recuſat Epiſcopatum Saſimorum. *n.* 130. *f.* 278 Ejus monitum ad Epiſcopos in renuntiatione Eccleſiæ CPanæ *num.* 170. *f.* 388.

## H.

*Abitatio* P. R. æſtiva, & hyemalis. *n.* 36. *f.* 62. *& ſeq.*
*Hadriani* Imp. propoſitum pro cultu Chriſti à pravis miniſtris interverſum. *n.* 111. *f.* 234.
*Hereſis* cognitio ſpectat ad forum Eccleſiaſticum. *n.* 7. *f.* 10. *n.* 163. *f.* 259. hæretici quà tales non gaudent immuntate: ſecùs, ob alia crimina nō excepta. *n.* 149. *f.* 328. *n.* 163. *f.* 259
*Herodis* utriuſque Aſcalonitæ, & Agrippæ pœnæ. *n.* 74. *f.* 158. *& ſeqq.*
*Homerus* vetuſtior ex Scriptoribus Ethnicis. *n.* 43. *f.* 86.
*Homicida*. *n.* 160. *f.* 349.
*Honorii*, & Theodoſii II. Conſtitutiones pro jure S. Aſyli. *n* 61. *f.* 123.
*Hoſpitalia*, & hoſpitalitas. *n.* 128 *& ſeq.* *f.* 274. *& ſe.* Hoſpitalarii ordines *n.* 131. *f.* 281. Hoſpitalium definitio. *ibidem.* eorum cura Clericis commiſſa. *n.* *f.* 282.

*Hunerici*

*Hunerici* Vandalorum Regis punitio. *n.* 77. *f.* 161.
*Hyemantes.n.*115. *f.* 242.

I.

*Jacob* modeſtiâ ſuâ repreſſit ferociam Eſau. *n.* 79. *f.* 165.
*Immunitas* localis ſacra eſt poſitivi juris humani *n.* 63. *f.* 126. *& ſeqq. n.* 135. *f.* 290. ejus etymologia, & deſcriptio *n.* 41. *f.* 81. origo à Conſtantino M. *n.* 5. *f.* 11. *& ſeq. n.* 112. *fol.* 235. ex inſtinctu Religionis naturalis, clementiæ, & charitatis. *n.* 57. *f.* 115. *& ſeq. n.* 67. *f.* 135. juſtitiam ſeculi non offendit. *nu.* 58. *f.* 117. *& ſeqq.* olim apud Cæſarum ſtatuas *n.* 47. *f.* 9?. ejus violatores incurrunt ipſo facto excommu-cationem, *n.* 9. *f.* 11. *n.* 172. *f.* 393. quomodo puniti à Deo? *nu.* 69. *& ſeqq. f.* 14?. *& ſeqq.* immunitas Eccleſiæ non derogat Eccleſiaſticæ poteſtati. *n.* 153. *f.* 333. *& ſeqq.* ubiquè ad unam formam reducta

*n.* 165. *f.* 362. unde naſcantur difficultates circa immunitatem *n.* 40. *f.* 74. *n.* 59. *f.* 119. *n.* 62. *f.* 125. *n.* 85. *f.* 178. *n.* 155. *f.* 340. & *ſeq. nu.* 170. *fol.* 387.

*Imperatores* à miniſtris ſuis gentilibus contra Chriſtianos commoti, *n.* 111 *f.* 233.

*Imprecationum* modi diverſi remiſſivè *n.* 34. *f.* 60. & *ſeq.*

*Impunitas* fidelium inter Ethnicos, ex eorum vitæ integritate. *n.* 113. *f.* 237. *n.* 114. *f.* 240.

*Inimico* reconciliato an fidendum? *n.* 161. *f.* 357.

*Interceſſiones* Eccleſiæ. *n.* 96. *f.* 202.

*Interdictus* gaudet immu. *n.* 159 *f.* 329

*Interminatio* indignationis Dei & SS Apoſtolorum. *n.* 34. *f.* 60.

*Ioab* ab Altari avulſus. *n.* 51. *f.* 150.

*Ioannes* XXII. non improbavit in Germania defenſionem juris Eccleſiarum per arma. *n.* 170. *f.* 385.

*Ioannis* Jejunatoris faſtus. *n.* 17. *f.* 28.

*Ioas* Rex caſtigatus ob atrium Templi violatum. *n.* 74. *f.* 157.

*Iudæ-*

*Iudæorũ* cura ſepulcralis. *n.125. f.268.* hoſpitalitas. *n.128. f.275.* gaudent in locis ſacris immunitate. *n.149. f.327. & ſeq.*
*Iudex* Eccleſiaſticus an poſſit in ſuo foro quoſcunque confugas extrahere è loco immuni? *n.94. & ſeq. f.197. & ſeqq.* an confugam punire poſſit ratione loci? *n.95. f.281.* Judices laici ferre poſſunt; ſed non exequi ſententiam capitalem in confugam, dum moratur in loco im̃uni. *n.99 f.206 & ſeq.* Judicis aſſeſſor in Ponto inimicus S Aſyli. *n.71. f.144. & ſeq.* Judicum aviditas. *n.96 f.203.*
*Iuliani* Præfecti Orient. pœna. *n.76. f.160.*
*Iuriſdictionis* eccleſiaſticæ ſpretus cavendus. *n.155. f.340.*
*Ius* naturale non eſt obnoxium mutationi. *n 63 f.127.*
*Iuſtinianus* Imp. violator juris Aſyli. *n.166 f.367.* à perverſis Sacerdotibus Palatinis, & malis conſiliariis
turpiter
GI 42
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

turpiter ſeductus. *ibid.*

L.

*Laica* poteſtas intempeſtivè non irritanda. *n.*101.*f.*212. laicorum in eccleſiis locus extra cancellos. *n.* 135. *f.* 262. laicorum judicum licentia unde naſcatur.*n.*155.*f.* 341.

*Lateranenſis* Baſilica. *n.* 36.*f.*63.

*Latrones* publici non gaudent immunitate.*n.*158 *f.*347.

*Laymanni*, & aliorum utriuſque Germaniæ Canoniſtarum ſententia de immunitate locali. *n.*65.*f.*132.

*Legatorum* Palatia quatenus alicubi immunia? *n.*49 *f* 95. *& ſeq.* *n.* 144. *f.*315.

*Legis* promulgatio qualis abſolutè ac ſubſtantialiter requiratur. *nu.* 30. *f* 50. Lex divina obligat, quomodocunque innoteſcat. *n.* 29.*f.* 49. Lex Pontificia quoad ea, quæ ad diſciplinam & mores pertinent, non pendet à fidelium acceptatione.*n.*32.*f.* 53. *& ſeq.*

*Leo* III. annum ſui Pontificatûs jam fecit adſcribi *n.* 38. *f.* 69. Leo IX.
T plura

plura ſtabilivit circa ſtylum *nu.* 20.
*fol.* 31.
*Leo* Thrax Imperator extra CPolim amplificavit jus S. Aſyli. *n.* 62. *fol.* 124. *n.* 136. *f.* 295.
*Litera* Apoſtolicæ ſub duplici forma expediuntur. *n.* 14. *f.* 22.
*Loca* Religioſa gaudent immunitate, *n.* 142 *f.* 308. & *ſeq.*
*Lucius* Sylla creditus ab Ethnicis, in ſacrilegii pœnam, à pediculis conſumptus. *n.* 74. *f.* 156.

M.

*Macedonii* præclara ſententia *nu.* 59. *f.* 121.
*Majeſtatis* læſæ reus *n.* 164. *f.* 361.
*Manichæi* oſores ſublevationis alienæ miſeriæ *n.* 67. *f.* 136.
*Maſcezil* luit pœnam violati juris Aſyli *n.* 61 *f.* 123.
*Miles* fugitivus gaudet immunitate *n.* 148. *f.* 326.
*Miniſtri* Regum obnoxii cenſuris, *n.* 169. *f.* 379.
*Monaſticæ* vitæ antiquitas *n.* 132. *f.* 283.
&

*& ſeq.* ejus origo vera poſt datam Eccleſiæ pacem. *f.*285. *& ſeq.* primi fundatores S. Paulus, & S. Antonius. *n.* 133. *f.* 286. Monachiſmi propagatio per occidentem. *f.* 287. *& ſeq* per ſe non pertinet ad Hierarchiam imperantem. *n.* 134. *f.* 288. Monaſteriorum immunitas quò uſque extenſa. *n.* 145. *f.* 316. *& ſeq.*

*Monialium* monaſteria per translationem in alium locum immunem à confugis liberanda. *n.* 146. *f.* 321.

N.

*Naon. n.* 117. *f.* 243.

*Narthex* ſeu ferula. *n.* 116. *f.* 242.

*Nicolaus I.* nomen ſuum in litteris conſtanter præpoſuit nominibus Imperatorum ac Regum. *num.* 21. *fol.* 33.

*Nomen* S. Pontificis ponitur in principio tam Brevium, quam Bullarum. *n.* 17. *f.* 26. nomen Baptiſmale ubi & quando à Papa adſcribatur. *f.* 27. nomen ſcribentis, & ejus

ad quem ſcribitur, olim promiſcuè præpoſitum. *n.21.f.32.*
*Notorietas* juris & facti, *nu.158. f.347.* quando notorium non relevet ab onere probandi. *n.89. f.187.*

O.

*Oratoria* monachorum. *n.134. f.289.* oratoria publica. *n.139. f.303.* privatorum uſus reſtrictus. *n.140. f.204.*
*Ozæ* & Oziæ ſupplicium. *n.33. f.59.*

P.

*S. Pachomii* converſio. *n.129. f. 277.*
*Palatium* Epiſcopale gaudet immunitate. *n.143 f.310.*
*Papæ* nomen olim cuilibet Clerico datum. *n.23. f 34.* Papa quales litteras ſubſcribat. *n.38 f.71.* quales ſibi titulos in principio litterarum adſcribat. *n.22. f 34.*
*Parabolani. n.131. f.281.*
*Parthenius* violenter è templo extractus, *n.167 f.370.*
*Paſtophorium. n.119. f.249.*
*S. Paulus* aliquos Sathanæ tradidit in interitum carnis. *num. 34. f.61.* cur
pro

pro violatore Atrii Judæorum habitus? *n.53.f.107.* ejus appellatio ad Cæſarem *n.112.f.236.* ſibi per milites de ſecuritate proſpexit. *n.170. f.381.*
*Paulus III.* in Bulla nomen ſuum liliis circumſepſit. *n.16 f.26.*
*Paulus* Samoſatenſis abuſus officio intercedendi pro reis. *n.96 f.202.*
*Peccare* cum ſpe vel ſinè ſpe immunitatis, non variat effectum Bullæ Gregorianæ. *n.* 160. *f.* 350.
*Penus n.* 119. *f.248.*
*Peregrini* fideles quomodo agniti. *n.* 129. *f.276. & ſeq.*
*S. Petrus* Damiani ſuadet moderatum anathematis uſum. *n.170 f.389.*
*Philiſtæorum* pœna ob Arcam irreverenter tractatam *n.74. f.156.*
*B. Pius V.* dedit varias facultates extrahendi criminoſos, à Gregorio XIV. revocatas. *n.1.f.2.*
*Plautius* Lateranus. *n.36. f.64.*
*Pœnæ* violatorum immunitatis. *n. 69. & ſeqq. f.140. & ſeq. n.172. f.392. & ſeq.*

*ſeqq.*

*Pœnitentes* publici quomodo præſervati à publicatione delicti *nu.* 114. *f.* 239. pœnitentia infirmorum ſæpe infirma. *n.* 57. *f.* 117.

*Principes* alicubi notitiam extrajudicialem executioni Papalium Bullarum præmittunt. *n.* 33. *f.* 56. *& ſeq.* Eccleſiaſticam poteſtatem uſurpare, & impedire non debent. *f.* 58.

*Proditorius* homicida. *n.* 161. *f.* 354. *& ſeqq.*

*Promulgatio* Bullæ Gregorianæ. *n.* 11. *f.* 14. promulgatio legis eſt conditio ſinè qua non. *n.* 29 *f.* 45. Romæ facta an ſufficiat. *f.* 46. *& ſeq.* facta in ſingulis Provinciis laudatur. *n.* 32. *f.* 52.

*Protheſis.* *n.* 118. *f.* 245.

*Pueris* innocentibus datæ reliquiæ Evchariſticæ. *n.* 121. *f.* 234.

*Punitus* ab Eccleſiaſtica poteſtate per hoc præcisè non liberatur à pœna Curiæ ſecularis. *n.* 99. *f.* 207. & viciſſim. *f.* 208.

*Quis*

Q.

*Quies* & ſolitudo, Aſylum Philoſophorum. *n.* 174. *f.* 397. *& ſeq.*
*Quirinale* Palatium cur dictum ad S. Mariam Majorem. *n.* 36. *f.* 62.
*Quotidiana* communio. *n.* 121. *& ſeqq. f.* 256. *& ſeqq.*

R.

*Regularium* privilegiis non derogatur per Conſtit. Greg. *n.* 8. *f.* 10. quando ceperint exercere actus Clericales. *n.* 134. *f.* 290. Regularis obſiſtens extractioni ab Epiſcopo præceptæ quomodo tractandus? *n.* 156. *f.* 240.
*Reis* non exceptis patet confugium. *n.* 147. *f.* 324. etiam in cauſis civilibus. *n.* 151. *f.* 330. Rei criminum in Eccleſiis commiſſorum puniri poterunt à Judice Eccleſiaſtico. *n.* 160. *f.* 352.

S.

*Sacella. n.* 139. *f.* 303.
*Sacerdotes* Palatini periculoſi. *n.* 166. *f.* 396. aulas declinent, *nn.* 174. *f.* 398. Sa-

398. Sacerdotum interceſſio. *n.* 67. *f.* 139. Eucharistiam deferentes protegunt confugas. *n.* 138. *f.* 300. ſecùs, ſi S. oleum deferant. *n.* 146. *f.* 321.
*Salutandi* modus in litteris Apoſtolicis. *n.* 19. *f.* 30. quando omittatur ſalutatio vel aliter concipiatur. *f.* 29. *& ſeq.* ſalutatio Papæ non tribuit abſolutionem à cenſura. *f.* 30. ſalutandi in litterarum ingreſſu mos vetus. *n.* 20 *f.* 30.
*Sanctuarium*. *n.* 118. *f.* 245.
*Sanctum* ſanctorum, & ſanctum gaudebat immunitate. *n.* 53. *f.* 105.
*Secretarium* duplex. *n.* 119 *f.* 247.
*Seculares* Miniſtri quid in certo caſu facere poſſint, Epiſcopo differente, vel recuſante cuſtodiam Confugæ. *n.* 84. *f.* 177.
*Sepultura* intra Urbes olim illicita. *n.* 124 *f.* 264. à Philoſophis quibuſdam contempta. *n.* 125. *f.* 267. ejus alibi cura & religio. *f.* 268. in quo ſenſu fideles non habuerint ejus
curam

GI 42
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

curam. *n.*126.*f.*270.

*Servus* ſervorum Dei. *n.* 17. *f.* 27. & *ſeq.* tractu temporis tranſiit in titulum peculiarem Pontificum Romanorum. *n.*18.*f* 29. ejus ſignificatio. *n.*24.*f.*36. ſervus quando gaudet immunitate. *n.*148.*f.*325.

*Seſſio* in templo quondam improbata. *n.*56.*f.*113.

*Sigilli* plumbei figura antiqua & moderna. *n.*15.*f.*23. & *ſeq.*

*Sixtus V.* dedit varias facultates extrahendi criminoſos. *n.*1.*f.*2.

*Spoliatus* quando non ante omnia reſtituendus. *n.*93.*f.*196.

*Statii* verſus de Aſylo. *n.* 44. *f.* 87. & *ſeq.*

*Stilico* & ejus milites ob violatum Aſylum puniti à Deo. *n.*70. *f.*143.

*Styli* ante & poſt coronationem Papæ nullum diſcrimen, niſi quo ad Datam. *n.*16.*f.*25.

*Superiores* locorum immunium quomodo ſe gerere debeant, donec Epiſcopus moneatur. *n.*156.*f.*342.

*Suſpen-*

*Suſpenſus* gaudet immunitate. *n.* 150. *f.* 329.
*S. Sylveſter* primus pingitur cum tiara in capite. *n.* 56. *f.* 114. Ejus acta quantam mereantur fidem. *f.* 112.

T.

*Templis* illata, apud Ethnicos planè ſecura. *n.* 46. *f.* 91. Templi Judaici partes, & quænam de ſingulis gaviſæ ſint immunitate. *n* 53. *f.* 104. & *ſeq.* Templum Zorobabelis *n.* 55. *f.* 111. Templorum Chriſti ſanctitas. *n.* 55. *f.* 109. Templa edicto Conſtantini M. Chriſtianis reſtituta. *n.* 56. *f.* 114. eorum partes olim. *n.* 115. *f.* 241. & *ſeq.* eorum immunitas. *n.* 63. *f.* 126. & *ſeqq.* quouſque pertingat. *n.* 135. & *ſeq. f.* 290. & *ſeq.*
*Tertiarii. n.* 146. *f.* 310.
*Theodoſius M.* extendit jus Aſyli. *n.* 60. *f.* 121. *n.* 136. *f* 294. ejus dictum de S. Ambroſio. *n.* 135. *f.* 292. Theodoſii II. reverentia erga Templum. *n.* 42. *f.* 85. Ejus conſtitutio de S. Aſylo. *n.* 136. *f.* 293. & *ſeq.* promotio juris
GI 42
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

juris Aſyli. *n.61.f.*123. *& ſeq.*

S. *Thomæ* Cantuarienſis irriſorum pœna. *n.78.f.*162.

V.

*Vaticanum* Palatium. *n.*36 *f.*62.

*Veritas* Principum aulis inviſa. *n.*174. *f.*302 *& ſeq.*

*Vicarii* Urbani particulares in vaſtis diœceſib⁹ pro illuſtrioribus locis. *n.*83. *f.*174. Vicariorum Capitularium reſtricta poteſtas. *n.* 83. *f.*175. *& ſeq. n.*156. *f.*342.

*Victus* & veſtitus confugis non denegandus. *n.*104. *f.*215.

*Vigilius* P. malè tractatus à Juſtiniano Imper. *n.* 166 *f* 367.

*Vis* indiſcreta quorundam Clericorum & Regularium contra juſtitiam improbata. *n.*138 *f.* 301.

*Urbanus V.* in Bulla quinque cruces & Coronam expreſſit. *n.*16 *f.* 26. Urbani VII ſepulcrale monumentum *allaminerva n.*16. *f.*25. Urbanus VIII damnat omnia præjudicialia immunitati. *n.*40 *f.*76.

*Vrbes* refugii. *n.*42.*f* 84.*n.*50.*f.*98. & *ſeqq.*

W.

*Wicleſiſtæ* volunt, opes pugnare cum ſtatu Clericali. *n.*80.*f.*165.& *ſeq.*

Z.

*Zachariæ* trucidatio in Templo vindicata. *n.*74 *f* 158.

*Sphalmata, ſi quæ forſan irrepſerint, benignus Lector emendare dignetur.*

Collegii Societ. Jesu paderborn

FINIS.

1697.

GI 42

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

. &

rum
n.

vin.

int,
tur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

GI
42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

GI
42

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
4805

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


GI
42